2

ROMVLI AMASAEI

# ORATIO

HABITA IN FVNERE

# PAVLI. III. PONT. MAX.



# ALEXANDRO FARNESIO S. R. E. CARDINALI VICECANCELLARIO

POMPILIVS AMASÆVS S. P. D.

DECREVERAM post Romuli Amaſæi patris mei obitum, omnes eius lucubrationes, quas nõdum in lucem editas ac multas quidem reliquit, primo quoque tempore diuulgare: Cum officii mei ac pietatis eſſe ducerem, eius qui mihi uitæ huius luciſq: autor fuiſſet, memoriam in hominum animis renouare, quaue maxime poſſem ratione famæ perpetuitati conſulere: Tum etiam quod me non parum adiumenti Latinæ linguæ ac eloquentiæ ſtudioſis, cuius nõ mediocrem is inter æquales ſuos omnium conſenſu, tam in ſcribendo, quam ex tempore loquẽdo laudem conſecutus fuerat, allaturũ ſperabam: ſi minime contemnenda quæ ad imitandum, ſibi ex noſtri temporis uſu proponerent, cum ipſis illarum facultatũ exemplaria communicarem. Quapropter quicquid hactenus à multis uariiſque occupationib. mihi ſucciſiui temporis fuit, totum id partim in propriis quibuſdam commentationibus

a ii meis

meis ad ſtudioſorum itidem utilitatẽ, partim in patris ipſius lucubrationib. recenſendis, ad certumque ordinem redigendis conſumpſi. Quod ſane opus difficile perplexumque fuit. Erant enim eæ (quod homo aſsidue præter interiora ſtudia ſua, docendiq: munus, plurimis fuerat publicis negociis Bononiæ primum, deinde Romæ diſtrictus) obſcurius confuſiuſque ſcriptæ. Itaque mihi, utpote qui eius & ſcribendi, & ſcripta etiam ſua emendandi, lituriſq: obducendi totam rationem noram, ut eas librariis, uel impreſſorib. explicatiores dilucidioreſq: traderem, propria fuerunt manu deſcribendæ. Quod cum abſoluiſſem, ſtatueram omnes in unum idemque uolumen coniectas, ac ſimul iunctas & connexas impreſſorum typis excudendas curare. Verum ab hac me opinione amici complures remouerunt: Cum dicerent, lentum id longioriſque temporis negocium fore, ac diuturniorem hominum expectationem de operis ipſius gratia non parum detracturam. Satis adhuc & plus etiam quam oportuiſſet, moræ interiectum. Se uero mihi ſuadere, ut ab eo potiſsimum libro, qui omnium ipſius abſolutiſsimus ornatiſsimuſque uideretur, ordirer: Tum deinceps alios atq: alios ſubiungerem. Hinc futurum, ut diuerſarum & crebriorum editionum nouitate maiorem in dies ab elegantib. literatiſq: hominibus gratiam inirem.

Mouit

Mouit me cum amicorum autoritas, tum ipsa etiam ratio, ac eorum sententiæ mihi omnino parendum censui. Subiit uero mentem patris consilium, de oratione quamprimum publicanda, quam in PAVLI .III. PONT. MAX. funere habuerat, posteaque (ut perpetuo pie, sanctèque illius præclarissimi principis memoriam colebat, seduloque tuam sibi gratiam demereri studebat) summa diligentia expolierat. Quod cum præueniens mors irritum reddidisset, id me superstitem iam exequi, ac nihil mihi antiquius esse debere censui, quam ut oratio simulatq: hoc perficiendi facultas oblata esset, tui perillustris nominis munita protectaque autoritate appareret. Atque ad id quidem posteaquam consilium cum illis meum communicaui, laudationemq: inspiciendi copiam eis feci, assiduos hortatores habui, amplissimos homines eosdemq: clientes tuos, Antonium Aelium, Michaelem Turrium, Antonium Bernardum, Io. Antonium Fachinetum, Thomam Lilium, quos omnes Pontificii honoris, uitæ integritatis, præstantisque doctrinæ causa nomino, Cumq: his Io. Angelum Papium, clarissimum celeberrimæq: per omnem Europam famæ legum interpretem, Quem uere Oratorum Iuris peritissimum, Iuris autem peritorum eloquentissimum nostra hæc ætas appellarit. Tum uero Camillum Palæotum & Fran-

ciscum

ciſcum Bolognetum Bononiæ Senatores, ambos eximia probitate, morum elegantia & eruditione inſignes: Qui etiam olim una mecum, à Romulo patre Pauſaniam edendi ſibi munus depopoſcerunt, imprimendumq: curarunt. Orationem hanc igitur de illius plane diuini principis, tuis met ipſius, totiuſque præcelſæ familiæ tuæ uerißimis laudibus, hiſtorica potius fide, quam laudationis ritu commemoratis, fœlicißimis auſpiciis tuis in uulgus profero, eandemque amplitudini tuæ in manus dedo & dedico: fidei tutelæq: tuæ commendo. Decet enim tibi olim orationis ipſius auctoris, nunc ſuperſtitum filiorum, domuſque ac fortunarum noſtrarum Patrono munus illud offerre, quod tuum ueluti Prædium ad FARNESIÆ gentis gloriam decuſq: protulit: Cui & Romulum ipſum, & Romuli prolem perpetuo præcipueq: inſeruire uoluiſſe, & id ipſum, & alia literarum monimenta, quæ propediem ex lucubrationum noſtrarum quaſi penu in lucem fauente DEO depromentur, ut præſentibus poſteriſq: fidem faciant, fore confido. Vale Amplißime benignißimeque Patrone diu fœlix.

BONONIA. VIII. Kal. Decembr.

MDLXIII.

# ROMVLI AMASAEI ORATIO HABITA IN FVNERE

# PAVLI. III. PONT. MAX.

V ESTRVM *uos quidem* PATRES AMPLISSIMI *amorem, obseruantiam, pietatem erga* PAVLVM .III. PONT. MAX. *multis, ac maxime perspicuis documentis hodierno die facile declarastis: neq: enim mutata solum ueste, sed uultus etiam, atq: oculorum insolita tristitia, lugubri silentio, atq: omni uehemēter affecti animi significatione, quo mærore, quo desiderio optimi, ac Sanctissimi parentis uestri obitum prosequamini: Quamque dolenter & acerbe hanc Reip. orbitatem feratis omnibus qui religiosissimam tanti funeris pompā celebraturi in hanc basilicam conuenerunt, testatum ut esset effecistis. Ego uero, cui uos nominatim hoc munus detulistis, ne parum omnino digna tam apparatis exequiis laudatio mea uideri posset, magnopere uereor: Nō paruis enim me, aut leuibus oppressum atq: implicitum difficultatibus sentio. Nam si* PAVLI FARNESII *unius maximi, & sapientissimi post hominum memoriam Pontificis laudes omnes coner dicendo complecti, atq:*

*exornare, multo quam opus foret longior, & ingentibus, quibus in presentia uestrum prope obruitur collegium, occupationibus minime apta continget oratio. Sin ad compendium breuitati seruiens maximarum rerum ueluti aceruum redigam, non grauiter, & copiose uti decuit* PAVLVM *laudasse, sed cum rudi & ieiuno commentario in hanc tantæ amplitudinis lucem parum pudenter prodiisse uisus fuero. Illud præterea me uehementer solicitum habet, quod confecto iam annis corpore, fracto atq; afflicto recenti dolore ob mei Principis, mei optimi atq; humanissimi parentis interitum animo, dicendi facultate uestrarum Patres aurium & animorum uel attentionem, uel patientiam me promeri turum ne sperare quidem audeo. Iam uero quo ingenii, quo memoriæ, quo spiritus ac uocis conatu uestræ Farnesii proceres tanto auo dignissimi Nepotes, tuæq; in primis* ALEXANDER *cuius ego auctoritate & impulsu hoc in loco quicquid habeo existimationis, periclitari audere coactus sum, de me expectationi respōdebo? Cuiusq; mihi rei non omnino nulla est ratio habēda, Qua nam ego* PAVLE *Pater optime ac sanctissime, memoris gratiq; animi declaratione, suauissimis, quibus me, quoties ad te ueniebam, cum certissima tuæ erga me uoluntatis testificatione uerbis alloquebare, ac simul perueteri iam meæ in te colendo, atq; oris numinisq; tui maiestate adorāda pietati satisfaciam? Verū quoniam quod mihi tam præter opinionem meam impositum est onus, neq; deprecari, neq; deponere, neq; in alias tam dignitate, quam dicēdi exercitatione Illustres personas reiicere licitum fuit, quod semel suscepi, aut uestra fretus Patres benignitate constanter*

*ter perferam aut ſuccumbendum ſi fuerit, planum certe omnibus faciam, non animi mihi ut in tanto publico ac priuato luctu alacritatem, ſed ob ingentem rei magnitudinem, mentis atq; ingenii firmitatem defuiſſe. Magnæ exiſtunt, & graues quoties è uita Pont.max.excedere contigerit, publici luctus cauſæ, quod nempe populi omnes, qui in eius fide, atq; officio fuerunt, ſibi communem parentem ereptum intelligunt: Ac ne tota Reſp. quaſi nauis gubernatore amiſſo, uiolentis agitetur tempeſtatibus, cum maximo naufragii periculo metuunt. Quo uero plures, & maiores in eo uirtutes enituerint, quantoq; fuerint Illuſtriora in commendatas fidei ſuæ ciuitates merita, eo tanquam ſalutari quodam lumine orbati, & anguntur acerbius, & luctus minuendi uix rationem ullam queunt ſatis efficacem, aut idoneam reperire. Vbi igitur primum de Pont. Max. obitu nuntius cœperit percrebeſcere, paſſim ſubitæ cuiuſdam trepidationis, gentes & populi certiſſimas dare ſignificationes conſueuerunt. Lugent ciuitatum ordines: Squallent oppida: Moenia, & agri propemodum ipſi, deſiderio & moerore conſeneſcunt. Tanti ego ac tam iuſti doloris cauſam huic funebri urbis iuſtitio ſubeſſe facile oſtendã, ſi quæ ad P*AVLI *uitam exornandam, atq; illuſtrandam ſummus & præpotens Deus, natura & fortuna Dei adminiſtræ congeſſerint bona, aut enumerare, aut certe ſummatim perſtringere potuero. Sic enim fiet, ut quam gaudenti animo illis paulo ante fruebamur, tã nunc eſſe nobis tanta uirtute, tantaq; diuini illius uiri ſapientia, tamq; innumerabilibus laudibus carendum, grauiter ac pene impatienter feramus. Sed quiſnam erit laudationis exorſus? Eius*

Patria. *primas iure sibi patria uindicat. In ea enim primum nostrum quilibet uitalem haurit spiritum: In ea, in quo moueatur, in quo quiescat solum nanciscitur: In ea alitur, educatur, instituitur: Magni autem refert tum ad res gerendas, tum ad gestarum gloriam comparandam, quæ cui Patria obtigerit: In ea uero urbe natus est* PAVLVS, *uel* ALEXANDER *potius (hoc enim primum a parentibus appellatum fuisse nomine scimus omnes) in qua si patriam sibi quisque optare posset, ecquis quam in alia quauis nasci non mallet? Romæ nempe, quæ cum maiestatis, & gloriæ semper domicilium fuerit, fidelissimus omnium nationum, & populorum portus, Augustissima sociorum ara, Coniunctæ cum imperio firmissima religionis sedes, Totius deniq: orbis terrarum instar, & urbis una in toto terrarum orbe indefinito digna nomine. Quæque ut olim ab aliis atq: aliis & condita est, & amplificata gentibus, sic hospitali ipsa (ut ita dixerim) complexu, ex omnibus terris conuenas recipit, nulliq: hominum infensa nouitati suā omnibus in quibus modo uirtutis aliquis splendor eluceat, gratiā, ac benignitatem impertit. Quod si non ab hac, a qua tandē quis patriæ nomen et decus accipiet? Sed quam bene, & præclare cum Paulo actum est, qui non plus fere accepit ad famæ celebritatem, quam patriæ dederit? In posterum enim omne tempus nunquam satis plene, satis ornate poterit Urbs laudari, quin magnus, & admirabilis quidam ad eius laudes sit cumulus accessurus. Quod in ea Paulus. III. Pont. Max. primum lucem aspexerit. O felix eius ciuis, atq: alumni accessione Roma, qui in omni ueteris memoriæ commemoratione, cum optimis quibusq:, & maxime laudatis.*

*tis Romanis Principibus, ac Pontificibus maximis conferri, multis anteferri, nemini poterit postponi. Ut uero ut generis obscuritas, ac nouitas infringit hominum animos ac debilitat: Sic ad cogitationum sublimitatem, & magnarum rerum molitionem ueluti quandam proficit nobilitas. Atqui non clari tantum in Farnesia gente Pauli maiores fuerunt, sed beati opibus, ac plurium oppidorum perpetua ditione potentes, neq: Romanorum tantum Procerum nomine nobilitati, sed ob res fortiter ac strenue gestas, in eos etiam, qui de rebus Italicis conscripti sunt, commentarios, atq: annales magna cum laude relati. Nam ut abolitum iam fere uetustate magnum imaginum numerum prætereã: fuit ex hac gente abhinc annos ferme .CC. Petrus Farnesius qui Imperator cum summa potestate iustos exercitus ducens, in magna bellorum uarietate insignibus claruit uictoriis: Idemq: cum Florẽtinorum copiis præesset, in Pisarum oppugnatione, confosso ab hostibus equo, mulo inuectus, conseruata pristina animi præsentia, per medias mœnium ruinas irrupit: Consecutaq: mox suorum multitudine, subito impetu captam & expugnatam urbem Florentinæ Reip. tradidit. Fuit Paternus Pauli auus Ranutius, qui Eugenio .IIII. Pont. Max. periculosissimis temporibus, scissa in diuersas partes Repub. fortem ac fidelem Reip. uestræ operam exercitus Imperator nauauit: Quique Alfonsi Neapolitanorum Regis exercitus ingenti cum gloria rexit. Non possum sine impiæ quodam modo obliuionis nota Petrum Farnesium Ancaranium cognomento, clarum illum quidem in diuerso genere laudis, & summa nominis celebritate uirum prætermittere, qui*

Genus

Maiores

cum luculentas sibi fortunas ex iuris ciuilis interpretatione comparasset, domum & prædia Bononiæ reliquit, unde literatæ iuuentutis collegium, quod adhuc ex ipsius testamento ad Farne-
Pater siæ gentis tutelam pertinet, aleretur. Patre genitus est Petro Ludouico, spectata fide atq; officio in Romanam Remp. uiro. Uerum non minus clarum, aut Illustre fuit Maternum genus. Le-
Mater ctissima enim Foemina Ioanna Mater eius è Caietana fuit gente, non solum prisca, sed etiam nobilissima. Ex ea certe Bonifacium octauum Pont. Max. fuisse constat, cuius multæ, ac præclaræ laudes literarum sunt monimentis mandatæ. Pauli igitur alterum genus Imperatorium, alterum Pontificium. Iam uero ut generosarum stirpium in feraci solo propagata semina, ad optimam frugem facile proficiunt, sic paterna & auita præstantes nobilitate animi, si bene, atq; ingenue educentur, ad egregiam se laudis spem celeriter efferunt, & corroborant. Et his quidem maioribus ac Parentibus ortus Alexander (cui rei plurimum amplissimæ fortunæ obsecundarunt) à puero liberalissime edu-
Educatio ctus, atq; institutus est. Nam cum ab ipsis prope incunabulis, & eximiæ indolis ac diuini prope ingenii certissimum specimen daret, immensoq; literarum amore flagraret, & domesticos exqui
Doctores sitæ eruditionis magistros habuit: & iam puber Pomponium lætum Romanæ tunc Academiæ principem audiuit assidue, & obseruantissime coluit. Tantos adolescentulus in optimarum artium studiis processus effecerat, ut qui longo interuallo æquales omnes suos superasset, multo maioribus natu merito par esse uideretur, cum clarissimorum in omni liberalium disciplinarum genere ho-

minum

*minum fama allectus, Ficini, Politiani, Chalcondylæ, Lascaris, ad eos se Florentiam contulit. Quo tempore, & eum Pico Mirandulano admirabilis ingenii, & incredibilis doctrinæ adolescente: Et cum Ioanne Medice, qui Leo postea fuit. x. cotidianus ei fuit usus, ac familiaritas, & suauissima in communibus maximarum artium studiis æmulatio. In Patriam inde reuersus, cum latinæ Grecæq; linguæ cognitione, atq; iis omnibus disciplinis, e quibus constat pulcherrimus humanitatis orbis, omni prorsus ex parte esset perpolitus, Ad publicos iam honores aggressus, scriptum primum inter sanctiores scribas, qui Apostolici uocantur, fecit: Quo sane munere perite ac diligenter fungens, summaque, quam semper retinuit, tam manus quam styli elegantia, egregie cum ciuibus, tum peregrinis omnibus carus esse cœpit, multasq; ac minime uulgares laudes est consecutus. In Farnesio itaq; quod quisq; ( uti fit ) in eo cum admiratione adamarat, aliis probitatem, humanitatem, facilitatem, pudorem, aliis modestiam, liberalitatem, exactam aliis utriusq; linguæ couiunctá cum multiplici doctrina & mirifica ingenii celeritate peritiam, omnibus uero omnia collaudantibus, tam multarú, tamq; spectatarú uirtutum fama impulsus Alexander. VI. Borgius Pont. Max. eum Protonotarii primum superioris loci titulo honestauit: Mox Pontificatu Montis Phaliscorum, & castri Inui decoratú, cum annum ageret duodetricesimum, magno Patrum consensu in sacrosanctum adlegit Cardinalium collegium: Illa supremo proxima apici insignia quam sibi merito delata fuisse probarit; dum eadem, qua perpetuo me uti oportere intelligo, dicendi breuitate*

Honores publici

Cardinalium creatus

*uitate commemoro, me Patres, quæso, libenter & benigne, uti adhuc fecistis, auscultate. Primum omnium tanto sublimiori honoris gradu nihil elatus, uirtutes duas specie dispares, grauitatem cum comitate, prudentia ita coniunxit, ut dignitatem suam semper retinuerit, & mira quadam morum facilitate amabilem se omnibus, & gratiosum præbuerit: Pont. dicto uti optime de se meriti parentis ita audiens fuit, ut alius nemo magis: libertatem tamen in dicendis sententiis nullius cuiusquam beneficio deuinctam esse debere putauit. Consilio, auctoritate, gratia, graui, & ornato orationis genere cum cæteris antecelleret, quicquid tamen aut agendo, aut dicendo perfecisset, amice ac beneuole cum suis collegis communicabat. Legari in prouincias extra ordinem solent è uestro Patres collegio, qui prudentia, qui rerum usu & auctoritate, belli pacisq; munia sustinere posse uideantur. Alexander non ita multo postquam Cardinalis esse cœperat, propter excellentem, & iam spectatam ingenii consiliiq; magnitudinem dignus est habitus, qui maximis legationibus fungeretur. Nam & Carolo* .VIII. *Gallorum Regi per ea tempora cum exercitu Neapolim contendenti obuiam missus est: Et legatus Picenum, legatus Vmbriam obtinuit. Atenim Magistratus capessere, etsi per honorificum est, cum præsertim non cupide appetentibus, sed officiose accipientibus decernuntur: Quanto tamen est preclarius ita se in magistratibus gessisse, ut nihil cuiquam ad calumniandum loci relictum fuerit, laudum materiam non facile quiuis dicendo assequi possit? Ea fuit Alexander in Populos aditus facilitate, ea affabilitate, ea in iure dicendo æquitate, ea postre*

Legationes

*mo*

*mo in factionum dissidiis tollendis, in redigendis in ordinem potentioribus, in Ciuitatum incommodis propulsandis, priuatorum miseriis subleuandis prouidentia: ut cum nulli uideri posset ordini indulgentior, aeque tamen summis, & infimis esset iucundissimus: In publicis negotiis semper grauis, In priuata consuetudine & conuictu festiuus ac perurbanus: De suo magnificus ac liberalis: Alieni non modo non profusus, sed neq: etiam appetens. Non ad speciem haec dicuntur: Sed quod laudationis ueritas postulat, non praetermittuntur: atq: eo recensentur fidentius, quod apud uos Patres, quibus cum ille amanter & familiariter uixit, haec habetur oratio. Neque uero his ille uirtutibus uni se Alexandro. VI. commendauit: Sed Iulii etiam, Pii, Leonis, Hadriani, Clementis postremo sibi est iudicia promeritus, atq: adeo ut eorum quilibet de eo quam optime merendi, praecipuam quandam & perpetuam curam ac solicitudinem prae se tulerit. Neq: uero Alexander illis uolútatem suam, officia, studia minus praestitit, quam si eorum cuilibet dignitatem, fortunasq: suas omnes acceptas referre debuisset. Quare nemo ex illis fuit, cuius secretioribus consiliis omnibus non intimus fuerit ac familiarissimus: Nemo prorsus, qui pro suo singulari quodam de eo iudicio, non ei omnia potissimum demandaret, quae cura atq: industria gerenda, consilio atq: animi magnitudine sustinenda forent. Inciderunt ea lamitosissima illa Clementis tempora, quorum meminisse horret animus: Ea cum Farnesius tanquam è specula prospiceret, imminens periculum nullo negotio deuitare, atq: in propinqua suae ditionis oppida, & deuia, et satis etiam munita se recipere potuisset.* Clemẽtis tempora.

*Vrbem tamen pro sua in Patriam pietate, in principem suum fide sibi neutiquam deserendam censuit: Ea igitur capta illum in arcem confugientem secutus, atq; ibi cum eo aliquandiu obsessus est. Inde hostium concessu, ut ad Carolum Cæsarem in Hispaniam traiiceret, cum eoq; de pacis conditionibus ageret, emissus, cum Lyguriæ fines attigisset, de instructissimi Gallorum in Italiam exercitus aduẽtu nuncium accepit, Parmam itaq; cuius Ciuitatis Pontifex erat, certa ductus ratione diuertit: Nam & pacatissima tunc ea fuit Ciuitas, & cum primis in uestræ, Patres, Reip. fide, & officio constans, Alexandri uero ipsius multis & magnis deuincta beneficiis, quodque ille maximi pro sua ad bene de quam plurimis merendum propensissima uoluntate æstimabat, in ea certos, & luculentos fructus habebat, unde eiectorum ex illa urbana procella posset miserias subleuare. Ad eum cum aliquot Cardinales, qui è tanto euaserant, & ut ita dixerim, enatarant naufragio, confugissent, eius maxime consilio & consolatione subnisi, non modo animos non desponderunt, sed ad aliquam etiam Pontificis Maximi, & Collegarum suorum, qui in Adriani mole inclusi atq; obsessi tenebantur, liberandi spem erigi potuerunt. Quare cum hoc deliberationum omnium duce & auctore inter illas profugas patrum reliquias de reliqua salutis spe cotidie fere consultum fuisset, paucis post mensibus Clemens recepta iam libertate, magnas Farnesio gratias habuit, quod in summa rerum desperatione ad Reip. gubernacula, quæ sibi de manibus turbulentissimæ extorserant bellorum tempestates, ipse ultro accurrisset, neq; Pontificiam quasi statione prius deseruisset,*

*quam & Pontificem Max. ex illa se obsidione subtraxisse, tutaque in urbe & pacata iam esse omnia compertum habuisset. Consecutus est biennio fere post, Caroli V. Caesaris cum Pont. Max. congressus, cum ei Clemens imperii coronam Bononiae detulit. Hunc qui aduentante Caesarem pro Pontifice obuius acciperet, delegit Clemens. Hunc summum & praecipuum idem Clemens, & Carolus consiliorum omnium auctorem, hunc in stabilienda inter ipsos amicitia adiutorem, hunc habuerunt ad pacem inter Christianos Principes conficiendam, & ad suscipiendum atq; apparandum Turcicum bellum frequentem atq; assiduum hortatorem. Fuit iterum Clementi, cum uix à priore colloquio alter annus exisset, ad Caesaris congressus Bononiam redeundum. Diu tunc animi anceps fuit Clemens, Farnesium ne id enixe contendentibus Vrbanis magistratibus, cunctisq; ciuibus, Vrbi Legatum praeficeret, an cuius opera & consilio, magnis arduisq; in rebus uteretur, secum duceret. Hic, qui Clementem audirent, non defuerunt, cum diceret, uideri sibi absente Farnesio consilia actionesq; suas omnes mancas atq; intermortuas fore: Quod tantum scilicet huic uni tribueret, ut sine eo non recte ac satis prouidenter consilium capi, Non grauiter atq; ornate decerni: Non quae decreta essent, mature ac constanter peragi, ac constitui posse putaret: Neq; senatus tantum principis absentiam à rationibus consiliisq; suis, quam maxime alienam fore cogitatione complectebatur: Principem enim in collegio uestro locum multos iam annos Farnesius tenuerat, & ita tenuerat, ut ille in sedendo ac dicenda sententia primatus, non ei ex maiorum instituto iccirco obtigisse*

Pontificis et Caroli Imperatoris cōgressus primus.

Congressus secundus.

*uideri posset, quod esset in ordine antiquior, sed quod uitæ dignitate longe cæteros antecelleret) Verum non tam senatus Principem à se tunc intelligebat Clemens desideratum iri, quam spectatam toties maximis in rebus, maximi uiri fidem, grauitatem, constantiam, auctoritatem. Quo tempore ipse quoq; Cæsar quam grauiter Farnesii absentiam laturus fuisset, non semel, ac minime quidem dubiis uocibus declarauit. O admirabilem Patres uirtutem, quam & præsentem amplissimi terrarum Principes præcipuis quibusdam honoribus dignam censuerint, & absentem certissimis communis desiderii testimoniis fuerint prosecuturi. Comitatus uero secundo etiam illo congressu Clementem Farnesius, egregiam Reip. operam nauauit. Atque in tanto quidem tunc fuit non solum apud collegas suos, sed apud Cæsarē ipsum, & Cæsarianos omnes proceres, honore, ut in eum intuentium uoces exceptæ sint, non debuisse, qui tantum uirtute & sapientia excelleret, ante senem, quam Pont. Max. fieri. Tantos adhuc fecerat Alexandri gloria cum uirtutum omnium meritis, tum consentienti hominum uoce incitata progressus, ut sublimius iam non posset, quam ad supremum honorum fastigium, & celsissimum dignitatis gradum subuolare. Aliquot inde post menses, Potentissimi Gallorum Regis rogatu, idem Pont. Massiliam classe profectus est, quo illum ut sequeretur Alexander, non grauate se tum eius, tum Regis precibus adduci siuisset. Sed quo minus tum principum optatis, tum suo perpetuo in Remp. studio satis tunc facere potuerit, fortuna aduersata est: quæ mox æquissima & faustissima futura, suæ in eum acerbitatis breui illo*

*quidem. Sed uehementi impetu, totum, ut ita dicam, uirus profudit: Nam & non multo ante Hostia dum redit (Pontifex enim, uti scitis, Hostiæ fuit) euersa, qua uehebatur naui, è Tyberinis uorticibus uix seruatum ac semianimum Urbi reddidit. Et non ita multo post graui & periculoso prope afflictum morbo, quin eum hominum expectationi eriperet, quam minimum abfuit. Est uero Patres ita comparatum, ut quemadmodum in anni uarietate ac uicissitudine, nouæ quasi Cæli ac siderum conuersiones, è nouis temporum quæ uel solstitia, uel æquinoctia appellamus, trepident momentis: sic plerunque humanæ uitæ cursus, tanquam orbis quidam uehementiore motu, & grauiore quasi quodam cum sonitu conuertatur. Eo fit ut sæpe, & secundissimas quasq: res insidiosa illa, & nostris infensa prosperitatibus, quam Nemesin Græci Poetæ dixere, opprimat fortuna: & rursus acerbissimorum casuum importunitatem, lætissimi atq: optatissimi posteri temporis excipiant euentus. Quæ tam breuiter ac summatim, tam etiam celeriter Patres percurri, eiusmodi (nisi meum me fallit iudicium) sunt, ut Alexandrum præclaris omnibus anteactæ uitæ rationibus comparatū, instructum atque ornatum ad Pontificatum Max. accessisse dubitari nihil omnino possit. Quis enim ad eius laudes cumulus accedere potuit: Cui patria urbs urbium omnium regina, & in ea perillustre ac omni dignitate & copiis affluens paternum & maternum genus obtigerit? Cuius admirabilē ingenii uim, atq: animi indolem, præclara adhibita institutio ac doctrina, omni uitæ elegantia, omni quæ latinis Græcisq: literis continetur,*

Epilogus superiorum partium.

*tinetur, uirtutis, atque humanitatis genere excoluerit & perpoliuerit. Qui post aliquot publicos honores ingenti cum laude gestos, magno Patrum consensu in uestrum collegium fuerit cooptatus: Qui pro Pontifice Italiæ florentissimas præfecturas, scienter & cum summa iurisdictionis æquitate rexerit: Neque sine ulla modo suspitione eas, quibus præfuit, Ciuitates gubernarit, sed iusti etiam moderatique imperii eximiam laudem una uniuersorum Populorum uoce reportarit: Quem sex deinceps Pontifices Max. uirtutis atque optimarum artium merito carissimum habuerint: Quem sui collegæ miseris & calamitosis temporibus patrem & patronum sibi extitisse senserint: Quem salutis certum uindicem suæ Resp. cognouerit: Quem Clemens. VII. & Carolus. V. primo secundoque itidem congressu coniunctionis inter ipsos confirmatorem & sequestrem, pacis constantissimum auctorem, pulcherrimarum actionum socium atque adiutorem amantissime exosculati fuerint: Quem postremo & à graui ualetudine, & à fatali quodam periculo seruatum, & quasi è mediis emersum heroicæ fortunæ fluctibus, urbi ac terrarum potius orbi Deus incolumem reddiderit: Ab hoc inquam homine, uel ut uerius dixerim, heroe, quidnam ex iis rebus omnibus abesse potuit, quæ à tot tam laudabiliter, tantaque cum gloria actæ uitæ meritis, à tot superatis laboribus, tot exhaustis ærumnis, Pontificatum ei primum Max. traderent, & à Pontificatu Max. suo ipsius tempore, at Reip. heu quam alieno, certum illi inter pios, ac beatos manes locum attribuerent? Ab hoc loco ad Pontificia Farnesii acta pergens, multis de caussis dum eius uir-*

*tutes*

*tutes enumerare cupio, cum animi quadam suspensione hæsito. Nam si multas quod uideo necesse fore, prætermitto, facile uos animaduersuros intelligo, parcius illum atq; exilius multo quam oportuit, collaudatum: sin pleraſque omnes persequor: uereor Patres, ne cum uos longiore oratione detinuero: in hac interregni trepidatione, uestrarum ingentium occupationum non satis, ut debui, rationē uidear habuisse. Scio non frustra esse à maioribus nostris institutum, ut magni, & illustres uiri in funere laudarentur. Hunc illi scilicet, perpetuæ orationis honorem, & ad grati ergà benemeritos animi memoriam declarandam, & ad corporum & animorum imaginem exprimendam, ac postremo ad uiuentium animos ad illorum æmulationem excitandos, multo magis accommodatum & appositum, quam cæteros omnes iustorum & parentationum ritus censuerunt. Hunc maiorum morem non satis habuisse me ratum putaro: nisi plenè atque absolute singulas laudationis partes peregero. Verum cum multæ sint huius quem nunc lugemus Pontificis Max. laudes, tanto iis quæ hominibus attribui possunt, maiores, quãto inferioris ferè ordinis Pontificatus ipse Max. omnem cæterorum omnium hominum statum exuperat: Eam mihi statuo præcipuam hac in parte cautionem esse debere, ne dum nimis diligenter omnia persequi studeo: maximarum & maxime illustrium rerum per quas Pauli fama æternitati se facile adæquauit, nihil penitus loci relinquam. Testata est eius Patres, omnibus suorum omnium familiarium ac necessariorum uocibus temperātia, integritas, innocentia, animi moderatio. Ciuiles hæ ac populares sunt uirtutes: quam uero non multis communes,*

munes, tam, cum ad rectam bene uiuendi rationem, tum ad hominum inter ipsos societatem conseruandam, necessariæ, ut sine his hominum uita non modo non humana, sed ne uitalis quidem (ut ita dixerim) existimari possit. At his præsertim ætate iam prouectior Alexander, maxime excelluit: Ab omnibus enim uel amorum, uel extructarum mensarum & poculorum, uel cæterarum, quibus humani sensus quasi titillari solent, uoluptatum lenociniis sic animum auocauit, ut omnium qui eum norant familiarius iudicio, nemo quisquã habitus fuerit frugalior, aut continentior. Atque cum quidem in iis, quas ante nominaui, uirtutibus habitum fuerat consecutus, ut omnis in eo cupiditas ita iam deferbuisse, aut potius restincta esse uideretur, ut quæ duntaxat suauia essent, non magis repudiaret, quam omnino non appeteret, Neq: magis caueret, ne quid indecore, effoeminate, aut libidinose diceret, aut faceret, quã ut quod tẽperante homine indignum putari posset, ne cogitaret quidem. Ac tantopere à quouis turpitudinis genere abhorreret, ut cum nihil, nisi quod maxime deceret, ageret, aut moliretur, nullis pudoris, aut uerecundiæ subsidiis, ac ueluti quodam rationis freno indigeret. Quid enim reprehensionem uereretur, cui nihil pudendum, aut erubescendum in mentem ueniebat? Abducebat uero quam longissime eius cogitationem ab omni quæ splendidioris fortunæ comes esse consueuit licentia, ab omnibus libero atque ingenuo homine indignarum uoluptatum ineptiis, acerrimum illud quo ab ineunte ætate, ad extremam usque senectutem flagrauit, scientiarum atque optimarum quarunq: disciplinarum studium: Nam quid-

Continentia & reliquæ uirtutes.

quid

*quid succisiui temporis, è maximis poterat occupationibus eripere, id totum ad eos legendos & peruolutandos auctores conferebat: qui uel Græca, uel Latina oratione, quod uis diuinæ, aut humanæ doctrinæ genus literarũ monimentis mandassent: Cuius rei maxime perspicua extant argumenta, sexcenta prope librorum uolumina ipsius manu, à primo ad postremum paginarum marginem politissime ac scientissime pernotata. Ex his ille fontibus dicendi, intelligendi, res maximas gerendi, præcepta hauriebat: Neque solum ut Latina Græcaq; lingua uteretur tanquam patria & populari hac nostrate (fuit hoc enim ei, ut scitis Patres maxime peculiare munus) consequebatur: sed ea etiam, quæ summa & iucundissima ex rerum cognitione percipitur, uoluptate contentus, reliqua prope omnia oblectamentorum genera contemnebat. Quod si, aut ualetudinis, aut ingenii recreandi causa, aliqua sibi esse opus animi relaxatione intelligeret, modo in Sabinos, modo in Phaliscos, ubi plura habuit gentilitiæ hæreditatis ac dictionis castella secedens, uel syluarum & uiridiorum ipsius maxime solertia dimensorum aspectu, uel elegantium & literatorum hominum, quorum semper domi habuit selectam copiam, se nihil à gratiis & musis abhorrentibus oblectabat sermonibus: quos ipse, ut erat inter suos maxime festiuus, eo suauitatis atque urbanitatis sale aspergebat, ut quam grauis & ornatus inter collegas suos in curia, tam in amicorum cætu iocundus & dulcis uideretur: Apposite itaque, quod quidam ex eruditorum numero de M. Antonino Pio literis prodidit, de hoc sui prædicabant. Quod frugi esset sine contumacia: uerecundus sine*

Studium literarũ

Animi relaxationes.

C ne

*ne ignauia: sine tristitia grauis. Fuit illud in Alexandro summæ modestiæ: quod nihil sibi unquam uel arrogauit, uel poposcit: sed hominum de se iudiciis acquieuit: Quod suam in omni uel publica, uel priuata disceptatione, non auctoritate, sed rationibus sententiam comprobauit. Neque plus omnino unquam contendit: quam quod æquo animo ab iis contra quos erat nonnunquam dicendum, acciperetur. Atque ita ueritatem & dicendi libertatem tuebatur: ut nemo tamen se ab eo læsum queri posset. Fuit animi eximiæ cuiusdam moderationis: quod inuidos & obtrectatores (cuiusmodi fere homines ampliorem fortunam, cum uirtute coniunctam petulantius plerunq; lacessere consueuerunt) nunquam ipse acerbius ultus fuerit: quam ut ignoscendo existimare eos cogeret, se cui essent infensi, indignissimi fuisse: Quodq; Pontificatum Max. cum petisset nunquam, bis uero ante paucorum ipsius felicitati aduersantium collegarum contentione extortum sibi quasi de manibus perspectum haberet, nihil tamen grauius questus est, quam ut diceret à Deo tam diuinum honorem, non ab hominibus decerni: à se illum remouendi neminem facultatem habiturum: si sua sibi diuinitus aliquando maturitas adforet. Fuit incomparabilis humanitatis ac facilitatis: quod nemo in ullo eius aut magistratu, aut præfectura quoties uoluit non est admissus, non patientissime quandiu uoluit auditus: non ita dimissus, ut si quod maxime uoluisset, non impetrasset, intellexisse demum se postulare non debuisse, confiteretur: Fuit integritatis, quod à iusto, æquo, bono, nulla eum gratia, nullæ cuiusquam preces auertere potuerint: Quodque semper inuictum pecuniæ, in-*

uiolatum

*uiolatum cuiuis corruptelæ animum gesserit. Quid uero dicam, quantum fidei constantia ac perpetuitate, quantum liberalitate ignotos sibi pariter ac notos deuinxerit: Cum nulla Europæ pars, nulla Italiæ Ciuitas, non magnam aliquam & insignem gratiam Farnesio Cardinali debuerit, egerit? Et ea domum pro certis maximeq; ueris homines haberent, quæ ab eius ore, seu uocis potius oraculo profecta dicerentur. Hospitalitas magnum & præclarum quoddam est in Principe uero decus: Quid enim facere possit elegantius, quid luculentius, quam si eas quibus abundat, copias bonorum commodis impertiat? Id laute semper & splendide fecit Farnesius. Nam & urbana domus quam & ante amplissime dimensam atq: exædificatam habuit, & nunc ornatissimam & plane Pontificiam nepotibus reliquit, & quas item in singulis suæ ditionis castellis magnifice extruendas curarat: eæ omnes & illustribus hospitibus, & peregrinis ac uiatoribus qui undecunque diuertissent, semper potuerunt. Iam uero quo officio, quo studio amicos coluit, qui neminem dilexerit, quem aut suo non prouocarit beneficio, aut cui de se bene merito non large ac prolixe gratiam retulerit? Quā uero fuit in cognatos, affines, aut quauis coniunctos necessitudine, pietate, qui neminem eorum suæ cuiusquam facultatis, aut felicitatis expertem esse siuerit? Nam quanta in nepotibus quam liberalissime educandis, atque instituendis fuerit cura atque diligentia, ex eo liquido constat, quod à Præstantissimis doctoribus atque optimarum quarunque artium magistris, & puerorum mentes honestissimis moribus, ac præceptis sine ulla indulgentia*

Nepotum institutio

 imbui,

*imbui atque informari. Et iam adolescentium ingenia omni quæ Latina Græcaque lingua literis mandata fuerit, uel intelligendi, uel dicendi facultate erudiri, instrui atque expoliri uoluerit. Quod ipsemet & quid discerent, secum cum illos haberet, cotidie inspiciebat, ad omniaque uitæ officia certis rationibus atque exemplis, teneram eorum ætatem fingebat atque informabat: & quod tum per ipsos Præceptores, tum per alios graues ac optimæ fidei uiros, quandiu & Bononiæ & Patauii fuerunt, quo studiorum eos causa dimiserat, an in officio manerent, ut certior fieret, sedulo operam dabat. Qua certe rectissimæ institutionis solertia, ad præclaram adolescentulorum indolem adiuncta effectum est, ut non aui magis uoluntate, quam ingenti uestro consensu ac fauore, præmaturæ uirtutis præmiis fuerint decorati. Et eorum quidem nunc partim armis, partim togæ muneribus & uestro Patres, & maximorum Principum de ipsis iudiciis ac beneficiis egregie respondent. Hæc ego de popularibus quibusdam ( ut ita dixerim ) Farnesii uirtutibus, tam breuiter perstrinxi: aut summis potius ( quod aiunt ) labris degustaui: quod non uobis tantum nota sunt omnia: sed urbanæ etiam ac peregrinæ multitudinis sermonibus celebrata: Quodque tanto plura supersunt tantoque ampliora, ut ualde uerear, ne si omnia colligere conatus fuero, ac non multo plurima tacitæ recordationi uestræ reliquero, non diligentior, sed superstitiosior quodammodo uideri possim: qui magna hæc quidem per se, longo sane interuallo maioribus, quæ de Paulo Pont. Max. commemoranda sunt, minora, non quasi transiliens atq: omnino missa faciens,*

*ex hoc*

ex hoc loco iam pedem proferam, & suscepto tandem operi legem ac modum statuam. Quare ne quis orationem meam nimis late uagantem, nimisq; in multas dissectam particulas fastidiat, aut stomachetur potius, de multis & maxime laudabilibus Farnesii uirtutibus, meum Patres silentium æqui boni faciatis, uos obsecro. Nihil enim agam de singulari eius uiri in rebus circunspiciendis solertia, in bonis expetendis & contrariis uitandis ac fugiendis prouidentia: quibus in rebus cum dominari constanti omnium opinione crederetur, Christianæ Reipublicæ & Romanæ in primis curiæ oraculum prope quoddam habebatur: Solus enim & quæ euentura essent, è certis rerum principiis, multo ante quasi præsagire, & si ita opus foret, præcauere ac propulsare, tum admirabili ui ingenii ac celeritate, tum iudicii exacta quadam subtilitate posse uidebatur. De sublimium rerum appetitione, & humilium contemptu, Deque firmissimo animi robore cum in periculis adeundis, tum aduersis in rebus fortiter & constanter perferendis, Ac simul de ea quam quouis tempore admirabilem præ se tulit, in magnis & præclaris operibus suscipiendis & aggrediendis magnificentia, nihil omnino in præsentia loquor: Quod tametsi fuerunt hæ laudes perpetuo illi uitæ comites, iccirco tamen quia tanquam regiæ atque heroicæ uirtutes inter cæteras eminent, poterunt eæ inter Pontificatus acta aptius cadere & insignius (ut ita dicam) interlucere, Nam quæ adhuc de eo à me dicta sunt, & si tacito uestro omnium consensu comprobari debuisse nihil dubito, nudis tamen

*men rerum uocibus enumerata, non factorum sunt ad singula uirtutum genera adiunctione illustrata. Quod si Patres, huius funeris oratione decorandi munus, paratiores & omni dicendi facultate eminentiores uiri suscepissent: quanto hæc illi quæ ego tenuitur pro ingenii, memoriæq; meæ imbecillitate delibaui, omnia uberius, ac magnificentius egissent? Quam grauiter illi, quo uerborum & sententiarum ornatu, quo spiritu, qua uoce, quo oris & linguæ sono debitum Farnesio quamplurimarum uirtutum testimonium dedissent? At me, ut quæ illi consecuti dicendo fuissent, ne conari quidem audeam, terret uirium mearum conscientia: terret ob exercitationis insolentiam, loci huius amplitudo, consessusq; uestri maiestas. Mentem obruit rerum ea congeries, quam ne longissimi quidem temporis, ne dum tam subita tamq; paucorum dierum comprehensura fuerit meditatio. Omnis uero conatus mei impetum debilitat, & infringit, ex orbitatis nostræ recordatione animi angor: à quo, & si cursus atque incitatio orationis cogitationem nonnunquam aufert: quoties tamen ad uestras, Patres, lachrymas, ad ferales istas publici luctus significationes oculos refero, toties rediuiua quadam doloris aggressione opprimi me, & confici sentio: Atque eo impatientius doleo: quo uistior communis huius doloris causa menti obuersatur. Fingamus enim animis, non Paulum. III. Pont. Max. sed Alexandrum Farnesium Cardinalem, Hostiensem Pont. Senatus Principem lugeri: Si tam uitæ dignitatem per quam in qualibet suæ ætatis parte, antequam Pont. Max. fieret, tantum nominis & gloriæ adeptus fuerat: grata memorique recordatione*

*com-*

*complectamur, an quauis publici luctus & mæroris significatione non existimemus eius funus celebrandum, cuius uita omnis tam fuerit omnibus gentibus ac ciuitatibus, atque uniuersæ Reip. sæpe utilis ac salutaris? Nihil, Patres, facilius credi potest: quam si Cardinalis cum esset, diem suum obiisset, omnibus totius Ciuitatis ordinibus teterrimum fuisse atq: acerbissimum illum diem futurum. Parentem alii sibi, fratrem alii, patronum multi, Cardinalem omnes, qualem nulla unquam ætas aut meliorem, aut omni laudum genere præstantiorem protulisset, ex oculis sublatum suis, multis essent lachrymis, ingenti luctu ac mærore testati. At quanto nunc uistius uos eius, Patres, obitum deploratis, qui cum uobis pater semper fuisset optimus, ac amantissimus, Fratres uos tamen & more maiorum nominabat, & fraterna quadam facilitate atque humanitate sibi uos cotidie deuinciebat? Qui cum ad eas quas constantissime coluerat, dum inferiore esset loco uirtutes, heroicæ ac plane Pontificiæ gloriæ cumulum omnem addidisset: quis non quasi diuinitatis quendam sibi solem ereptum, non egerrime ferat? aut quis penitus, atque intimis sensibus conceptum dolorem, ut per gemitus, lamenta & ploratum non erumpat, comprimere ualeat? Verum enimuero, si pium fasque est, Patres, abducamus à luctu tantisper cogitationem, & lachrymis tantillum subtrahamus temporis; dum non maioris iam Alexandri Farnesii Cardinalis; sed Pauli .III. Pont. Max. acta, non copiosa magis & pro rei dignitate ampla atque uberi oratione, quam simplici quadam & illaborata pii doloris testificatione percensemus.. Hic ego Patres,*

*rerum*

rerum à Pont. uestro Max. gestarum tanta me mole obrui sentio, ut in summa ac prope immensa copia & uarietate fatiscat quodammodo mens, & huc illuc dum errabunda uagatur, nuspiam consistat: Quin abortis confusionis ueluti cuiusdam tenebris nullum uel ad ordinandas, uel ad continuandas ac connectendas orationis partes meditationi meæ lumen præferat. Quare quod me omnium conturbat maxime, etiam si principium in promptu fuerit, non continuò tamen mihi posse uideor, satis certum dicendi exitum reperire. Sed enim eum in amplissimum huius Pontificatus campum, spatiosum illum quidem omnium in omni postera ætate oratorum & scriptorum ingeniis, officiosius multo & obedientius, quam consultius descenderim, ita spatium in eo meum conficiam, ut cum rerum summas eodem quo sum exorsus, breuitatis ac celeritatis cursu persequi conatus fuero, tacitis expectationibus uestris multa potius à me prætermissa requiratis, quam immodicæ uos orationis ulla satietate affectos conqueramini. Id unum uos obsecro per uestri amplissimi ordinis Maiestatem, per sanctissimas hasce aras atq; focos, utriusque consessus Patres amplissimi, Regum ac Rerum publicarum legati qui adestis, Postremo omnes cuiuscunque ordinis uiri clarissimi atq: ornatissimi, ut meæ in dicendo facultatis imbecillitatem, uestra humanitate atque æquitate fulciatis, et rei magnitudine territam perculsamque pene mentem, tum aurium, tum animorum multo maxime benignitate subleuetis atq: erigatis. Quàm longe, lateq: Christianæ Reip. nomen patet, ad omnes orbis terræ partes de summi uiri, ac uerius herois non

Pontificatu

*Pontificatu solum, sed ipsa etiam æternitate dignissimis laudibus fama peruaserat: Augebat eam consentiens populorum prædicatio: Confirmabat cotidiana nouorum in alias atq: alias gentes, ac nationes officiorum accessio. Cum Clemente.* VII. *uitæ mneribus perfuncto, unus qui Reip. gubernacula teneret, Collegarum omnium suorum in hunc eundem conspirantium suffragiis dignissimus est habitus. Quare non ut sæpe & legimus, & ex natu maiorum sermonibus accepimus accidisse (atque ut ne in noui Pontificis creatione accidat, uestræ fuerit Patres, prudentiæ ac bonitatis præcauere) tunc longius duci ac per dissidia partium protrahi comitia quidquam necesse fuit. Vna est mora interposita: dum exequiarum iusta Clementi fierent, atq: exinde more maiorum totum simul collegium se intra illa septa, quod conclaue appellamus reciperet, eo ipso die, quin ea ipsa pene hora, collegæ omnes ad Farnesii pedes accidentes, atque una omnes uoce Pontificem eum salutantes, communi prius concursu & gratulatione, mox cum uultu omnium et uoce consentientibus tabellarum punctis, & sua perpetua, & omnium Reip. partium iudicia comprobarunt. Ad cunctas iam Reip. partes faustissimæ huius renunciationis nuncii peruenerant, & P* AVLI. III. *nomen lætissimis uocibus celebrari, ac maxime effusis plausibus, et gratulationum exquisitis significationibus in cœlum attolli cœptum fuerat: Ornatissimæ à maximis regibus & florentissimis ciuitatibus missæ legationes, maxima earum quælibet pro summo officii sui declarandi studio, suscepta celeritate, unicum totius Reip. parentem agnouerant, salutauerant, adorauerant.* Pontifex creatur

*D* *Cum*

*Cum ille non retinendis modo, sed augendis atque illustrandis earum, de quibus ante locuti sumus, uirtutum operibus, nouis uero & plane Pontificiis ingentium quarundam laudum meritis adiungendis, facile declarauit, se unum, qui & tanto patrum consensu crearetur, quique tanto omnium gentium ac nationum plausu Pontificatum iniret, dignissimum fuisse. Atque omnino perfecit, ut Pontificia cognomina non speciosi quidam supremi honoris tituli, sed bene ac laudabiliter factorum testes, atque indices haberentur. Sanctissimum enim, quod est Dei obseruantissimum, eidemque Deo carissimum, euentorum fœlicitas, Beatissimum, omnibus numeris absoluta, ac propriis nitens & contenta bonis uita, maximum, præclaræ ac plane diuinæ quædam in rebus omnibus exequendis facultates, iure ac merito appellari eum debuisse, ut cuncti mortales sibi persuasum haberent, haud dubie effecerunt. Sed ad Pontificatus acta mea mox accedet oratio, si prius uos illud Patres monuero, non esse me singula ad certa uirtutum nomina quasi certa capita relaturum. Nam cum præclara quædam sit, & admirabilis ac planè diuina humanæ mentis uis, quam sapientiam uocamus, ea humanæ uitæ laudum omnium quasi chorum efficit: Ab ea omnis recte sentiendi, intelligendi atque agendi, Ab ea etiam bene atque ad res accommodate dicendi omnis disciplina ortum ducit: Atq; hinc illa merum certissima lex, & regula uirtutum earum, à quibus omnis nostra actio proficiscitur, dux prudentia existit: sine qua fortitudo, iustitia, fides, clementia, animi moderatio, uel alius postremo quiuis bene comparati & constituti animi habitus,*

*habitus, in homine aut nullus omnino spectari, aut certe exiliter ac tenuiter potest elucere. Satis itaque Patres habuero, si dum in rerum à* PAVLO *gestarum commemoratione uersabor, ostendero quanta fuerit in consiliis de rebus maximis capiendis sapientia, quanta in gerendis prudentia. Ex eo enim & illud facile colligi poterit, fuisse cœlestem illum fauorem, quam fœlicitatem & bonum euentum nominamus, uiri post homines natos maximi, sapientiæ ac prudentiæ, non fortunæ tribuendū. Et quoniam certissimâ ac sempiterna præpotentis Dei lege, eam Christianæ professionis communionem, quam ecclesiam dicimus, cum ciuili Rep. tanquam spiritum in omni animante natura eum corpore, in humana, cum spiritu mentem, coniungi oportuit, ex ipsa Pauli factorum operumque serie, modo Iesu Christi seruatoris nostri summum legatum, & pro geminis ueræ religionis propugnatoribus Petro atque eo, cuius sibi consulto nomen adsciuit Paulo, sacrorum uindicem atque Antistitem, modo uero traditi à Constantino Syluestro atque iis, qui deinceps Syluestro successerunt, imperii defensorem & gubernatorem optimum ac generosissimum agnoscetis. Atque omnino qui in Rep. non dignitatis magis atque honoris, quam uirtutum & omnis liberalis cognitionis principatum obtinetis, quodnam Pont. uestri Max. factum, uel cum pulcherrimo illo & maxime diuino pietatis, sanctitatis ac religionis nexu coniunctum fuerit, uel à quo præcipue totius decori atque honesti fonte deriuarit, quam facillime tacita uestrum quilibet cogitatione dispiciet. Vestra ego in rebus percipiendis ac diiudicandis solertia, uestra in opti-*

*mi ac ſapientiſsimi Pont. laudatione auſcultanda, pio ſilentio atque attentione fretus, arbitratu meo inſtitutum eius actorum ordinem perſequar. Agebat Paulus, cum Pont. Max. declaratus eſt, annum* . LXVII. *Ad imminentia tamen Reip. pericula propulſanda, cum ſenili prudentia, atque conſilio iuuenilem quandam alacritatem coniungendam putauit: Atque ita omnia quæ fieri, quæq; agi oporteret maturanda, ut ſi per paucos ætatis annos reliquos habuiſſet, nihil tamen minus quam qui diutiſsime in Pontificatu uixiſſent, de Rep. benemeritus uideri poſſet. Sin è uita (quod maximum præpotenti Deo beneficium debuimus) ſerius quam tunc ſperauimus exceſsiſſet, multorum Pontificum Max. uniuerſam gloriam unus longo interuallo ſuperaret. Sed quæ tandem eius Pontificia acta fuerunt? Quæ ad Dei cultum pertinuerunt primum colligam. Nam cum omnibus imperiis haud dubie religio ſalutem apportet, & à propitiis ac placatis numinibus mutuæ fidei firmitas, & incolumitatis ac ſecuritatis certiſsima ſpes ſeſe in hominum animis corroboret, Merito, iacto hoc ſui Pontificatus fundamento, & ut beati eſſent, qui in ipſius eſſent imperio, effecit, Et per quam facile ſibi ad immortalitatem uiam muniuit. Hac in parte talis fuit Paulus, ut poſt Syluestrum, Leonem, Caium, Gregorium, Cæleſtinum, qui poſtremi fere Pontificum Max. in diuorum fuere pro uitæ ſanctitate numerum relati, nemo accuratius, nemo uigilantius boni ſacrorum principis, fidelis paſtoris, ſeduli ac ſolertis humanorum animorum tutoris officio functus fuerit. Sacra enim is ut per minores Pontifices, & quoſuis ſacerdotum ordines ubicunq:*

Pontificatus acta.

Religionis curæ.

eunq: Christianum nomen uigeret, rite pureq: fierent, diligentissi me curauit. Nullum in urbe fuit priscæ atq: augustioris religionis delubrum, in quo non sæpe ipsemet rei diuinæ præfuerit. Sta tas certe solennesq: cærimonias nisi cum forte langueret, nunquam intermisit. Iam uero qua ille caritate deuotarum Deo familiarum egestatem subleuauit? Quam pia beneficentia eius quod Iesu nomine celebratur, atq: in dies longe lateq: per Italiæ atq: Europæ ciuitates propagatur, laudatissimæ uitæ fratrum collegium prosecutus est? Quam misericorditer parentibus ac fortunis orbati pueri & uirgines, ut publice alerentur atq: ad ciuilis uitæ munia educerentur, instituit? Iure igitur uos pueri san ctissimi Pontificis alumni, funebres precationes uestras singultibus interpellantes alteram hanc orbitatem lugetis. Priorem uestrum plurimi uix dum nati, aut certe paruuli infantes amisistis, uel ne sensistis quidem. Hunc non communem tantum, sed uestrum ipsorum proprium parentem agnoscebatis. Sed pergite iusta facere, pergite tam de uobis benemerito parēti parentare. Vestra illum pietas iam Deo gratiosiorē reddit: Illius mox sanctitas Dei uobis nunc conciliabit: Atq: ut in eo, qui successerit, Pauli bo nitatē ac misericordiā minus desideretis, efficiet. Conuertit me Pa tres in diuersa tēpli parte nō magis sacrū, quā lugubre carmē con cinentiū puerorū uox. Redeo ad religiosa Pauli acta. Quā illud ad exorandā Dei clementiā efficax esse debuit? Quod cū propter diras illas urbis calamitates et populorū defectiones, exhaustum et uacuū omnibus copiis ærariū, ablatis annuis uectigalibus, nudā et omni ope spoliatā Rēp. offendisset, ingētes et maxime necessarii de qui-

*de quibus alio loco dicemus, essent cotidie sumptus tolerandi, relatis à misericordium largitionum dispensatore, uiro integerrimo rationibus, innumerabilis & incredibilis quædam pecuniæ summa, cum ad egentium miserias alleuandas, tum ad nubiles ex infima plebe uirgines collocandas erogata reperiatur. Qui tam liberalis in pauperes fuerit, quanta is fuit in Christum, Deum scilicet ipsum, obseruantia? Cum ipsemet omnis misericordiæ & benignitatis fons Christus, ipsa ueritatis uoce, sibi eos benigne facere, qui pauperibus benigne facerent, affirmarit. Magnum hoc & præclarum, quoque minus in propatulo gestum est, eo pleniore uoce, & magis illustri prædicatione dignandum. Illustria enim illustrium uirorum merita uulgo quæ nota sunt, ne temporis diuturnitate obscurentur, hominum uitæ conducit ad posteritatis memoriam prodere. At quæ dum fierent, quanto dissimulantius facta fuere, maiorem pietatis laudem meruêrunt, ea, si qui rescierit, non magis ad auctoris laudem, quam ad imitationis exemplum in lucem non protulerit, neque ingrati ille, neque inuidi animi crimine carere merito iudicetur. Sed ad ea, quæ palam fuerunt hominum oculis, aut auribus exposita, quæq; occulte geri non potuerunt, religionis opera reuocetur oratio. Quid uero tam laudabile, tam ad hominum salutem, & beatæ uitæ rationem accommodatum, tam Pontificale, tam cum Christi seruatoris nostri iussis congruens, quam quod cogitationes, consilia, studiaque sua omnia ad pacem inter summos Reip. principes conciliandam conuertit. Didicerat nempe cum ex sapientissimorum hominum sententiis, tum uero maxime ex diuinarum uocum*

Pacis studium.

moni-

*monimẽtis, pacis ui & natura omnem humanæ uitæ felicitatem, omnem promissæ à Deo immortalitatis spem contineri. Sciebat è discordia & dissidiis, magnorum semper imperiorum perniciem atque exitium extitisse. Viderat in magnis totius Reipub. ac totius Italiæ atque ipsius urbis cladibus, ob graues & fœdas principum inimicitias diuina atque humana iura uiolari, sacra prophanari, prophana ferri, agi, rapi crudeliter ac miserabiliter. Animaduerterat ac pene suis oculis inspectarat, sæuum illum & præferocem, nominis legumque nostrarum hostem sempiternum Turcarum Tyrannum, captatis atque obseruatis ciuilium, quæ inter se Christiani gererent, bellorum motibus, dum odiis atrocissimis incensi, uel de finibus imperii, uel de iure regnorum disceptarent ac digladiarentur, Christianæ Reipub. ualidissimis propugnaculis Rhodo & Tauruno expugnatis, capta uniuersa inferiore Pannonia, maximas equitum peditumque copias iam bis in Pannoniam superiorem, apparatissimas instructissimasq; prædonum classes, ad utranque maris nostri oram populandam atque opprimendam immisisse: Præsentissimum igitur ad sanan da Reip. uulnera, atque ad Turcicam pestem depellendam reme dium esse arbitratus, si maximi ac potentissimi duo Reges, Carolus. V. Imperator, & Franciscus. I. Galliarum Rex in gratiam rediissent, & amicitia firmoque fœdere coniuncti, aut arma posuissent, aut in communem hostem optimis auspiciis conuertissent, Missis de pace legatis semel & iterum, spectatissimæ grauitatis atque auctoritatis è uestro, Patres, collegio uiris, cum minus multo quam uellet, quamque opus esset, profectum intelligeret,*

*Quod*

*Quod ad tam graues tamque inueteratas offensiones ac simultates, noua quædam, ac minus usitata medelarum genera erant adhibenda ac sæpius nouanda atque instauranda, ea dum adhibet, quibus sanctissimus ac sapientiss. Pont. non rationibus, quibus iustis piisque precibus ac deprecationibus non contendit? Cum tam grauis annis ipsemet Nicæam usque profectus, in Caroli ipsius Cæsaris, et Francisci Regis, (ambos amplitudinis & Maiestatis causa nomino) congressum & colloquium uenerit? Nam cum biennio ante, redeuntem confecto punico bello Cæsarem in urbe triumphali cum pompa accepisset, & ex eius sermonibus perspexisset, non fore difficillimum utrunque Regem ab omni iræ acerbitate ad placabilitatem & lenitatem reuocare, modo ut congrederentur familiarius, eorumque ipse congressibus & sermonibus interesset, ei quam de pace conceperat spei, Reip. ductus caritate, & acerrimis religionis tuendæ aculeis incitatus, omnem ualetudinem, quin uitam potius ipsam censuit condonandam. Tulit uero longi atque incommodi itineris optatissimum fructum. Perfecit enim cum rationum ui, tum mitissimæ orationis lenitate, & pertractandorum animorum peritia, ut pactis in annos .x. induciis, tantas ac tam certas inter se coniunctionis significationes illi reges dederint, ut qui ocium ac tranquillitatem expeterent, illas uerbo inducias, pacem re futuram augurarentur: et qui rerum essent nouarum cupidiores, ad nouas iam artes turbandi ac rescindendi omnia, se inuestigandas compararent. Non destitit Paulus, cum eodem cuius certissimum fuerat numen secutus, Deo reducente in urbem rediisset, omni studio & conatu suo experiri,*

Nicæam profectus

*periri, eniti, elaborare, ut omnem quæ adhuc reliqua esset, odiorum scintillam restingueret: omnem discordiarum omnium memoriam sempiterna obliuione deleret. Quare quadriennio post, ultro ad Carolum Imp. Lucam uenit, ut sua apud eum auctoritate conglutinatam illam concordiam arctius astringeret, & iacta pacis fundamenta, seditiosorum nequitia ne conuellerentur, obsisteret. Duo tantum medii anni fuerunt: cum iam tertio eadem de causa ex urbe profectus, Buxeti ad constitutum colloquio diem, eidem Imperatori, quo eum in pristina sententia confirmaret, præsto fuit. Si hæc apud eos, Patres, dicerentur, qui non ipsi, sicuti uestrum pars maxima, rebus omnibus interfuissent, quibusq; hæc audita tantum, non præsentium oculis fuissent exposita, An illi non fingi omnia ad Pauli uitam exornandam, non ad rei gestæ ueritatem exponendam commemorari putarent? Quid enim creditu minus facile, quam hominem qui in toga atq; in ciuilibus duntaxat officiis, inter sacra et religionis cæremonias ætatem totam exegisset, iam septuagenarium & eo etiam natu grandiorem, in magnis anni caloribus, per asperrimos Apennini tramites, in extremos Liguriæ fines, & ad maritimas alpes contendere non dubitasse? Et eundem ex annorum quinque interuallo bis, inualidum, ultra uires, fortemque senectæ (ut Poeta inquit) ab urbe in Hetruriam & medias citerioris Galliæ urbes excurrisse? Hoc quis unquam tam grandis natu Pont. Max. fecit? Aut quis in expeditionibus Imperator, in armis miles, in re nautica gubernator consenuit? Quis tam gelu, uel æstu obdurruit, Qui id ætatis à longinquis itineribus non abhorruerit? Non*

Ad Carolum Imp. Lucã profectus.

Buxetum.

*diuum hominumque concessu senectuti suæ ocium ac requietem indulserit? At Paulus de se nihil fuit solicitus, modo ut per se salua esset Resp. quam per se, atque eam solam, quam ipse coram constituisset ac firmasset concordiam, saluam fore confidere sibi posse uidebatur. Vicit igitur omnem periculorum rationem perpetua erga commissos fidei suæ populos caritas, spei alacritas, laborem minuit. Religionis ardor, uiæ & infensarum plerunque tempestatum incommodationem non patienter tantum, sed hilare etiam & iucunde sustinuit. O uirum prisca illa pietate ac fide flagrantem. O memorandum omnibus gentibus ac sæculis pacis studium. Quo sane merito uix in priscis illis quidem Pontificibus, Lino, Cleto, Anacleto, Telesphoro, Vrbano, Felice, Clemente, Marcellino, cæterisq; qui sanguine profuso, suam posteris in Christiana professione constantiam testatam reliquerunt, maius ullum potuerit prædicari. Merito itaque quacunque iter Paulus faceret, omnis ad tam pium, tanque uniuersum communis ocii ac tranquillitatis parentem, quasi è cælo delapsus esset, cum admiratione incredibili inspectandum, è uicis, oppidis & urbibus undique, in agros & uias multitudo se effundebat. Exultantes gaudio omnis oppidanorum atq; agricolarum turba Matronæ cum pueris & uirginibus, cuiusuis ordinis atque ætatis uiri Oleæ frondem præferentes, relictæ à Christo hæreditatis, Christianæ Reip. ipsius nempe pacis uindicem, & sacrosanctæ per pacem potissimum religionis in pristinum decus ac dignitatem restituendæ auctorem salutabant: optimum commissi gregis pastorem, communem ac uerum Christianorum omnium regum & populorum*

pulorum patronum appellabant: lætis uocibus ac festis plausibus itinera, cogitationes, colloquia, actiones prosequebantur: secunda omnia, uitæ in primis quam maxime longinqua spacia, salutem, incolumitatem, felicem reditum precabantur. Non audita commemoro: ipse ter eius itinerum comes fui, & sane nihil à me fingi & uestrum Patres, pars fere maxima, & tacita mea ipsius mihi testis est recordatio. Quid uero Paulus, ut his omnibus, huic de se hominum expectationi accumulate responderet, non molitus est? non egit? non contendit? adeundi fuerunt reges, adiit, inter esse ac præesse eorum colloquiis oportuit, interfuit, præfuit: fuit reditus in gratiam exorandus, exorauit. At non fuit ille quidem quam debuit perpetuus ac diuturnus. Quis nescit ingentes plerunque molitiones siue artis illæ, siue naturæ fuerint, extraneo aliquo & aduentitio impetu subito dirui ac subuerti posse? Magna & præclara hominum opera, præcelsa urbium mœnia, iactas innumerabili manu moles repentini telluris motus sæpe demoliti sunt: Aut subita quæpiam maris illuuies, aut inopinatæ late dehiscentis soli uoragines non ingentes tantum campos, sed summa etiam montium iuga absorbuerunt. Nulla est tanta cuiusuis rei uis, nullus tam uehemens impetus, qui cum humanæ linguæ potestate comparari possit, ea si facultate sua ad animorum coniunctiones disiungendas abutatur, nulla reperiri potest tanta mentis aut consilii stabilitate firmata concordia, quæ maleuolorum ac factiosorum hominum uocibus, & non publici boni, sed suorum duntaxat commodorum satagentium sermonibus labefactari & conuelli nequeat. Quid igitur? ubi uidit tot ac tantos labo-

*res suos, tantas animi corporisq; contentiones, certorum hominum improbitatem nè dicam, an potius impietatem? irritas fecisse, ac non modo uniuersum Reip. corpus per salutaria pacis remedia pristinam sanitatem non recipere, sed in dies etiam furiali seditionum ueneno, alia atque insuper alia membra extabescere, non protinus animum despondit, aut de pace spem abiecit. Nullum enim unquam tempus remisit, quin per legatos ab illa falsarum opinionum insania & bellici furoris amentia, principum animos auocare atque absterrere conatus fuerit. Quoties instructas ad prælium acies, quoties collata iam prope signa, Pauli legationes diremerunt? Quoties infestissimorum & ad mutuam cladem paratissimorum exercituum tela, à Christianorum iugulis & ceruicibus modo in Turcas, modo in Pœnos äuerterunt? Turcicum uero bellum eius in primis hortatu & impulsu susceptum, ac terra marique ingenti apparatu gestum est: Triremes quam multas non alius quisquam Pont. Max. sub certo Imperatore suo misit: Maritimas Terrestresq; copias magno impendio, in summa ærarii tenuitate tamdiu aluit, usque dum Cæsar Tunetum expugnaret: A Viennæ uero mœnibus, & à superi maris littore insolentissimus atq; impotentissimus hostis, qui Aulone in Italiam numerosissimæ classis transmissionem moliebatur, intra suos ipsius fines repelleretur. Intereà uero cum eiusdem hostis neque cotidianas insidias caueri, neque in dies magis inualescentis ac se corroborantis impetus aliter sustineri posse compertum haberet, quam si bellicosissimæ Germaniæ gentes ac populi, quæ per seditiones, atque intestinas discordias, perque maxime impias de toto religionis*

Bellum in Turcas auersum.

*nis iure disceptationes, à Dei primum numine, deinde à suorum etiam principum imperiis desciuerant, à cæco mentis errore abducti furere iam desinerent, & ad ueram atque à maioribus traditam, Dei sanctè pureque colendi rationem reuocarentur, ad uniuersum Christianæ Reipub. concilium, quod iam tum uix dum Pont. creatus, indixerat celebrandum, omni cura, studio, animi contentione incubuit. Non erant profectò in dubium ac in nouam controuersiam denuo reuocanda, quæ de omni religionis iure ac forma, deque iis quibus religio ipsa contineretur quæstionibus, de sacerdotum uita & moribus, de tota Antistitum, atq; ipsius Pont. Max. potestate atque auctoritate, in tam multis conciliis disceptata ac constituta fuissent, & in iis quatuor maxime, quorum decreta maiores nostri nõ minore fere dignatione, quam ipsius Dei & hominis uoces æstimanda censuissent. Est consultandi atque ambigendi locus, cum in rebus neque discussis, neque conclusis assensionem omnem expedit sustinere. At quæ grauissimorum uirorum & optime de Christiana professione meritorum sæpe sententiis, suo sæpe ipsorum etiam sanguine sancitæ iam pridem essent deliberationes, non iam opinionum concertationibus, sed perpetua in obseruando atque obediendo fuerunt perseuerantia prosequendæ. At id illi ut populi, illi ut perniciosarum seditionum auctores facerent, cum perductum iri nunquam posse satis iam exploratum & cognitum haberet, eam quam essent arctissime amplexati, non libere, sed licenter, non impure, sed impie uiuendi impunitatem optimus Pont. tanquam Clemens medicus, non ui & armis, quasi uitiatas & corruptas corporis partes,*

Conciliũ indictũ & celebratũ

ferro,

*ferro, & aduſtione cohercendam: ſed ea, quam ipſimet ſacram ueluti anchoram ſuarum ſeceſsionum habere ſe ſimulabant, ſola noui concilii auctoratione eorum uecordiæ atque amentiæ frenum ueritatis (ut ita dixerim) iniiciendum cenſuit. Mantuam itaque primum celebrando concilio locum elegerat: Quæ urbs conuenis omnibus ſecuritatem ſummam, præterea commeatus & quæuis commoda large ſuppeditare poſſe uidebatur. Verum exorti repente in inſubribus nouarum rerum motus, in loco ſtatuendo ſen tentiã ut mutaret, effecerunt. Quare Vicetiæ rurſus indixit, cum reliquam commoditatem, tum uero maxime ſoli ubertatem & cœli ſalubritatem ſecutus. Deinde, quo ex omnibus Germaniæ ciuitatibus, à quibus erat illa diſſenſionum peſtis depellenda, minus grauate pro loci uicinitate quam uellent multi conuenirent, non finitimum tantum illis oppidum, ſed quod in Germanorum prin cipum ditione erat, maxime fidum atque hoſpitale Tridentum conſtituit: Eo uti prius Vicetiam, & legatos ſuos è ueſtro Patres collegio uitæ dignitate, & cum omni literarum ſcientia, tum diuini humanique iuris prudentia præſtantiſsimos, alios ac ſubin de alios miſit: Eo magnum minorum Pontificum numerum dimiſsis per Europam ad ultimas uſq: terras nunciis, in unum con gregauit: Eo Germanicarum ſectarum principes, nouarum religionum auctores & profeſſores creberrimis adhortationibus, paternis precibus & cotidianis ſuaſionibus ut aduocaret, enixiſsime operam dedit: Sed cum illi peruerſiſsimarum opinionum per tinacia obdurati modo cauſarentur, modo tergiuerſarentur, modo maledictis & contumeliis tam piam, tam ſalutarem, quamque ipſi*

*ipsi per tot annos, quasi maxime necessariam efflagitarant, actionem eluderent, ubi uidet eos quos ad diem dictum adfore uix ut dubitaret, adduci poterat, frustra iam triennium expectari, atq; interea sumptibus intolerabilibus Reip. rationes onerari, non esse tot Pontificum, qui ex aliis, atque aliis orbis terræ partibus, à Gothis usq; & Hibernis, quin Aethiopibus & Indis, Ac prius etiam nobis incognitis, paucis uero ante annis, Hispanorum Lusitanorumque solertia repertis in Oceano Insulis Tridentum conuenerant, patientia abutendum statuit. Mandat itaque per literas ac nuncios legatis suis collegis uestris, Montio, Ceruino, Polo, uiris optimis & grauissimis, atque omnino quorum uicaria in tanto negocio uteretur opera dignissimis, certis ac statis diebus Patres in curiam ut uocent: Ibique singulis consessibus res ad religionis Reiquepub. summam pertinentes, more rituque à maioribus tradito referuntur: Sententiæ grauissimæ atque ornatissimæ dicuntur: Senatus consulta magna cum auctoritate perscribuntur. Iam prope erat ut sua tanto operi clausula adderetur, cum repente propter loci angustias (ut in conferta inquilinorum turba par fuit) pestilenti morbi contagione, non tantum ignota tentari capita, sed cotidie illustrium etiam uirorum funera duci cœpta sunt. Noua igitur fuit concilio sedes deligenda. Aptissima uisa est Bononia, & quod non longius quam quatridui abesset, & quod omnem quæ illuc conuenisset multitudinem soli bonitate alere, & domorum laxitate facile possit capere: Hospitalior uero gentibus ac nationibus urbs profecto nulla: Nam & optimorum studiorum domicilium, & bonarum artium altrix, &*

*educatrix*

*educatrix ueluti quædam abhinc mille amplius annos fuit: Et quod loci, quo sita est opportunitate, nulla tam sæpe cum Pontificibus Max. Regum atque Imperatorum congressibus & colloquiis patuit, & augustissima eadem semper habita est sanctissimorum fœderum ara. In eam igitur urbem ita curia Tridentina translata est, ut loci mutatione neque quæ ante decreta fuerant in acta referri, neque denuo alia referri unquam intermissum fuerit. Ea fuit Pont. optimi ac sapientissimi in peragendo concilio constantia, & per concilium abalienatos opinionum peruersitate populos ad Christianæ legis ueritatem reuocandi studium: Tanta flagrauit Christiani nominis conciliandi & consociandi cupiditate, ut neque sumptus magnitudine, quem in alendo magno doctorum hominum numero iam prope totum quinquennium tolerauerat, nō desiderio clarissimorum uirorum, quorum cotidiana opera atque officio carere uix poterat, non postremo pestilentiæ imminenti periculo, à pulcherrimi operis progressu reuocari aut deterreri potuerit. Magna hæc sunt confirmati in tuenda ac redintegranda religione animi documenta. Sed quid tandem dicat aliquis hi tantarum actionum conatus Reip. profuerunt? Districti iam Christianorum in Christianos gladii, non propterea ab ipso quasi Christianæ Reip. corpore auersi sunt. Est certe his Pauli consiliis eatenus profectum, quod pestis & discordiarum pernicies omnis, est ad extremos artus à præcordiis et reliquis uitæ certissimis sedibus reiecta. Nec uero qui summa quæ sunt in quouis rerum genere, assequi non potuit, non summæ proximam laudem, quin & summam quantum in ipso fuit, mereatur,*

*mereatur, si cum ad optima quæque & maxime salutaria aspirarit, quæ optimis proxima sint, saltem fuerit consecutus. Vnum mihi restat de Pontificis* PAVLI *actis memorandum, antequam ad eas uenio laudes, quæ non magis Pontificibus Maximis propriæ sunt, quam in aliis inferioris etiam gradus principibus, non illæ quidem frequentes & cotidianæ, sed quæ optari certe, & ab iis qui in eorum sunt imperio, maxime expeti solitæ sunt. Est uero id, & ad præsentium oculos atque animos memorabile, & ad posteritatis memoriam tam insigne, ut eius magnitudine tota orationis meæ uis debilitetur. In eo ego & quod rei ponderi iam prope succumbo, paucis immorabor: Et simul quod cum uestris Patres coniunctum est laudibus, uestramque quam proxime dignitatem contingit, meæ uestri pudoris uerecundiæ dicendi breuitate consulam. Estis uos Patres sanctissimum Christianæ Reipub. consilium. Certa uos estis, & splendidissima terrarum lumina, atque ut appellamini, sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ: Cardines: Quod scilicet uestri huius longe grauissimi, atque ornatissimi senatus auctoritate ac sententiis, tanquam firmissimis Cardinibus, relictæ à* CHRISTO *Apostolis, idest legatis suis, Reip. salus atque incolumitas nititur ac sustentatur. Quanto uero uestra ista supremæ dignitatis insignia, fasces, lati claui, atq; apicis purpura, ordinis ac sessionis primatus, & ad speciem sunt quam cæterorum orbis terræ Principum ornatus illustriora, & ad religionis ac maiestatis decus augustiora, tanto uos profecto decet non solum generis claritate, sed morum probitate, uitæ integritate, ingenio, uirtute, sapientia, at-*

que omni doctrinæ genere, ceteros omnes publicorum consiliorum auctores antecellere. Animaduersum uero est omnibus temporibus, hanc ipsam Remp. uestram post acceptum à Constantino Imperium, saluam maxime & florentem fuisse, cum non optimum tantum Pont. Max. sed simillimos etiam Pont. Maximi consiliarios, selectos scilicet uestri loci atque ordinis uiros, nacta fuerit. Hac in parte supplendi quoties oportuit patrum numerum, & optimum atque honoratissimum quenque hoc honore ornandi atque honestandi, nullius cuiusquam Pont. Max. laus tanta fuit, quin eam PAVLI in patribus deligendis iudicium adæquarit. De Iulii. II. collegio iam uix unus & alter, nonnulli quos Leo. X. conscripserat, Aliquot quos Clemens, reliqui erant, clari omnes, & quorum in magna temporum uarietate ualde spectata uirtus fuerat. Eorum sibi quamsimillimos conscribendos & cooptandos Paulus censuit. Fuit nobilitas, & natalium splendor requirendus: Regio multos genere illustres adlegit. Fuit uirtuti, fuit uitæ dignitati honos habendus: Ex omnibus Italiæ, ex omnibus Europæ partibus in uestrum ultro consessum acciuit atque inuitauit, quibus uel ipse iampridem iudicasset, uel minime dubia fama attulisset, primas honestatis ac sanctitatis, primas disciplinarum atque optimarum artium laudes deberi. Fuit laboribus pro Repub. susceptis gratia referenda: Multi in húc ordinem sunt adsciti, qui studia, qui fidem, qui fortunas, qui ætatem totam in magnis & grauibus Reip. negociis ac muneribus consumpsissent: qui corpus manifestis difficillimorum & insidiosorum plerunq; itinerum, longinquarumque legationum periculis

De Cardinaliũ creatione.

*riculis obiecissent: qui uitam deniq; caputq; suum uestræ Patres curiæ deuouissent, ac sanguinem etiam minime inuiti, dum eius salutem & auctoritatem tuerentur, profundere parati fuissent. Quæ igitur & quam clara lumina, quæ uirorum decora, ad eos, quos proximi superiores Pontifices reliquissent, ex Pauli delectibus accesserunt? Præsentium ac uiuentium, uestro pudori parcens neminem nomino: Nemo tamen istic sedet, in quo, quæ paulo ante attigi uitæ ornamenta, qui uultus uestros atq; ora intueatur, non in singulis modo singula, aut in omnibus omnia, sed prope in singulis omnia, quamfacillime quamque uerissime tacita agnoscat cogitatione. Sed quæ unquam magnorum & multiplici literarum & uirtutum laude cumulatissimorum hominum nomina delebit obliuio? Quæ temporum iniquitas pulcherrimas non corporis, sed suas animorum imagines, quas ipsimet æternis consignarant literarum monimentis, poterit obscurare? Video Patres, ex mea tam paucis expressa uerbis significatione uos commoueri: Credo quod animos uestros demortuorum collegarum uestrorum, acri quodam cum desiderio subit recordatio, Contareni, Simoneti, Fregosii, Ginutii, Iacobatii, Aleandri, Bembi, Sadoleti, Cortesii, Ardingelli: quæ illi fuerunt, summe DEVS, uitæ exemplaria? quæ ingenii, uirtutum ac doctrinarum lumina? Sed cum satis eos iam diu luxerimus, non committam ut refricanda tantorum uirorum memoria, aduentitii doloris causam quærere, & quasi obductæ iam cicatrici manus uidear admouere. Scio ego Patres, ex eorum numero quos PAVLVS adlegit, alios multos horum quos nominaui, & uestri adhuc uiuentium quamsimilli-*

*mos & uita excessisse. Verum qui primi cogitationi meæ occurre- runt, eorum ego nomina enunciaui. Sed cum diuersis temporibus non pauciores quam LXXXV ab eo editi fuerint, quem eorum non maxime probastis? quem non dignissimum, qui in uestrum numerum adscriberetur, iudicastis? quem tam receptum non fraterno estis amore complexi? Nepotes quidem suos,* ALEXANDRVM *primum Farnesium, et Guidonem Ascaniu Sfortiam, ex longo deinde interuallo Rhenutium Farnesium uix dum puberes uobis collegas dedit. Sed qua indole adolescentulos? quo ingenio? quam liberaliter? quam præclare institutos? quam supra omnem ætatis captum, cum multa rerum intelligentia, tum mirifica quadam communis sensus præditos excellentia? Et sane eos non modo uobis non recusantibus, sed rogantibus etiam atque efflagitantibus dedit: Et tam uerecunde eos nominauit, ut facile apparuerit, uobis obsequentiorem multo, quam nepotes ornandi cupidiorem fuisse. Quid uero potuit aut a uobis amantius expeti, aut ab illo elegantius decerni? Fuit hoc uestræ erga* PAVLVM *obseruantiæ perspicuum argumentum: Fuit ipsius erga uos fidei certissimum pignus; Firmissimum mutuæ beneuolentiæ uinculum. Et uero nunquam fuit quamobrem aut uos id expetisse, aut uestris ipsum precibus indulsisse pœniteret. Tales. n. uobis domesticæ disciplinæ institutis atq; exemplis præstitit Paulus: Tales ipsi pro naturæ suæ bonitate euaserunt, ut Pauli nepotes non magis de facie, aut de maximis quos per adolescentes ceperunt, & cum summa omnium ordinum laude gesserunt honoribus, quam de morum & uirtutum præstantia, quasi fœlices è generosa*

Nepotum in collegium cooptatio.

nerosa stirpe propagines quiuis facile possit agnoscere: Neq: hos modo quos praeter auitae seueritatis reuerentiam, praeter ingenii indolem atq: educationis rectissimam rationem, sanctior ista pur: pura & uestri confessus uerecundia, ab omni uitae prauitate faci le potuit absterrere, & in uirtutum omnium officio, ac uerae solidaque gloriae cursu continere. Sed quid Octauius? quid Horatius Farnesii? quid Sfortia Sanctaflorius? ab ipsa pene infantia, armis & uitae militaris consuetudine assuefacti? Quid unquam non pudenter, non moderate, non ut maxime Romanae Iuuentutis principes deceret, fecerunt? ordines exercitusq: ita duxerunt, ita imperarunt, ut non aetati ueniam, sed factis praedicationem quaesierint. Priores duo, alter apud Caesarem, apud Franciscum Gallorum Regem alter, diu fuerunt, et in tāta quidem gratia, ut Octauium Caesar non magis quod ei filiam nuptum dederit; lectissimam & omni muliebri laude eminentissimam foeminam Margaritam Austriam, ut generum diligat, quam uirtutis ergo, non minus prope, quam Philippum Hispaniarū Regem, unicum filium suum, quem maiestatis & celsitatis causa nominaui, carum habeat: Horatium Henricus Rex Francisci filius, cui filiam desponderet, dignum duxerit. Sed ut illuc, unde digressa est, redeat oratio: Cum optimum quenq: nobilissimum ac sapientissimum PAVLVS in uestrum collegium cooptarit: tribusque suis nepotibus adscriptis uestrae fuerit assensus cohortatione, facile profecto declarauit, et Pontificis optimi auctoritatem optimis consiliariis muniendā, & cum Resp. optime consuluit, tum uero et prudenter summam dignitatis uestrae habuit rationē, et amanter uestrae

Nepotum aliorū laudes.

Margarita Austria.

uestrae

uestræ erga se maxime piæ uoluntati obtemperauit. At pulcherrimi ille quidem facti sui tum ex magnorum erga ipsum dum uiueret, officiorum perpetuitate, tum ex uestro isto pietatis & gratæ memoriæ plenissimo luctu, ex iis uero maxime, quæ erga suos Nepotes præ uobis fertis, minime sane obscuris beneuolentiæ signis, fructus iam tulit optatissimos. Et uos, quos ille tanti honoris quasi germanitate quadam, cum ueteribus collegis maximis illis quidem & clarissimis uiris coniunxit, magnam pro minime uulgari beneficio, sed maiorem (nisi mea me fallit opinio) pro tam illustri de uobis tanti Pont. Max. indicio gratiam debere arbitramini. Collegi Patres, & in quasdam ueluti summas redegi, maiore medius fidius cum breuitatis quam copiæ cura, Pontificia Pauli merita: dum & de eius in summum Deum cultu, deque perpetua in homines caritate, de pacificandæ Reip. flagrantissimo studio, eiusque rei causa indicto ac prope iam peracto concilio, de uestro sæpe repetitis cooptationibus ornato collegio pauca commemoraui. Age uero nunc, si ad PAVLI uitam, mores, actiones, formam denique et oris figuram respicias, qui summum orbis terræ principatum teneret, dignissimum fuisse, rebus omnibus quæ huc pertinent exponendis, æque ueritatis ac breuitatis habita ratione ostendamus. Reges Deorum esse certissimam prolem, inter gentes clari sapientia uiri literis prodiderunt: quod scilicet quo cæteris præcellant hominibus, eò uno gradu Diis ipsis inferiores esse uideantur. Sed illud longe uerissimum, quod diuinarum uocum interpretes & ipsius Dei & hominis IESV CHRISTI sanctissimi legati bonis omnibus facile probarunt: A Deo potestatem

*[Margin: Peroratio Pōtificiorum actorum.]*

*[Margin: Pauli Regia acta.]*

temPrincipes accipere: neq: minus qui improbi sint, quam qui boni. Tantum uero interesse, quod illi ad hominum salutem, hi ad perniciem traditis à Deo opibus utantur. His DEVS tanquam pastoribus ac uerius suæ uicariis potestatis parentibus populos committat: Illis tanquam latronibus, aut potius carnificibus corruptas atque impias ciuitates ad pœnam & cruciatus tradat. Discernuntur uero facile utrorumq: ingenia, ex diuersa imperii administratione. Illi temere, furenter, crudeliter, inique, libidinose agunt & gerunt omnia: Hi certa ratione ac consulto, mansuete, clementer, continenter ac moderate. Illos qui in eorum sunt imperio populi, natos aliquando fuisse indignißime ferunt: Hi si humanæ iura naturæ paterentur, ne unquam morerentur cuperent. Optimorũ PAVLVM non modo principum simillimum, sed eius totius, quam maxime diuinus princeps præ se ferre poßit, diuinitatis compotẽ fuisse planißime perspiciemus, si cogitata diuinitus, suscepta diuinitus, ab eo denique omnia à principatus initiis ad extremum humanæ uitæ halitum, diuinitus perfecta ostenderimus. Diuinæ sunt illæ, quinimmo summi Dei maxime propriæ facultates duæ, per quas sempiternus ipse Deus se ipso maxime fruitur, & mundus uniuersus, singulæque mundi partes Dei mente fruuntur. Cognoscendi atque intelligendi est altera: Prouidendi altera ac benigne faciendi. Ab illa inest in Deo omnis omnium rerum scientia: Ab hac extitit aliquando à Deo omniũ quibus fruimur Dei munerum, tam prolixa tamque copiosa largitas: Atq: ab hoc fonte omnis in hominum genus, tum res omnes inuestigandi & contemplandi, tum bene & præclare gerendi facultas

Virtutes Regiæ.

*cultas deriuauit. Harum in* PAVLO *utra se non ostendit? non extulit? non supra humanæ naturæ lumen effulsit? In quo uero unquam Principe salutaris illa ciuitatibus potestatis ac sapientiæ coniunctio certior fuit, aut euidentior? Quod si beatas fore Resp. censuit grauissimus ille intelligendi ac dicendi Auctor & Magister, quarum uel sapientes gubernacula tenerent, uel in quibus ii, qui summæ rerum præessent, se sapientiæ studiis dedidissent: Cui unquam principi fœlicitatem suam hæc Rom. resp. quæ ecclesiæ nomine celebratur, acceptam referat, si non fuit* PAVLO *imperante fœlicissima? Is enim Patres (atque id uestris omnium tacitis fretus iudiciis ac testimoniis fidenter atque intrepide dicam) tam fuit in omni uel diuinarum, uel humanarum rerum cognitione solers, tamq; earum omnium, quas in summo atq; optimo principe esse æquum est, literarum compos, ut si in aliquo fortasse uno uel facultatum, uel studiorum genere unum aliquem superiorum ætatum non superarit, neminem plane in uniuerso scientiarum & doctrinarum omnium concentu illo & ueluti choro, quam Græci Philosophiam, humanitatem nostri appellarunt, qui cum eo comparetur, ut omnia memoria repetas totius antiquitatis exempla, facile reperias. Et quoniam insitæ in animo rerum notiones, quales eæ sint, tum demum perspiciuntur, cum eas mentis quasi quosdam partus, oratio ad hominum aures pertulerit. Ea fuit Paulus in dicendo copia, grauitate, ubertate: Is uel sermones uel perpetuas orationes exornabat insignibus: Eo etiam cum opus foret, lepore atque urbanitate condiebat: ut neq; rerum maximarum cognitio orationi, neque ulla omnino, qua uel edoceri,*

Doctrina.

Eloquētia

*ceri, uel affici, uel recreari auditores oporteret, eloquētiæ pars, eius intelligentiæ atq: admirabili ingenii capacitati ulla ex parte deesse uideretur. Commentitium ne id haberetur uereri possem, Patres, nisi è uestris tum sæpe singulorum, tum plurium sermonibus cognouissem, nunquam Pauli orationem in Curia è superiori loco de rebus maximis referentis, non amplam ac magnificam, non elegantem & politam, non omni ex parte undiq: admirabilem uideri solitam. Sermonibus certe, qui uel eo in cubiculo, sedente inter paucos, uel dum accumberet, circunstante fere semper doctissimorum hominum corona haberentur, tam frequens interfui, quam alius quiuis loci ordinisq: mei: Animaduertebam quæstionē nullam in dictionem cadere posse, siue de uita et moribus, de ciuili scilicet ac populari quauis ratione, siue de naturæ obscuritate, siue de sacris diuinisq: rebus, atq: omnino retrusis atq: abditis in mediis à communi uitæ consuetudine remotissimarum disciplinarum latebris dissereretur, quin de iis* PAVLVS *et non omniū sentiret scientissime, et non promptissime simul & grauissime loqueretur. Iam uero si de exquisiti cuiuspiā artificii, ut pingendi, fingendi, exædificādi quouis genere ageretur, non illi ipsi profecto, qui in iis essent artibus callidissimi atq: experiētissimi, de iis operibus, quorū se absolutionē aut soli, aut cum paucis præstare posse profiterētur, uel acutius iudicabāt, uel probabilius, quid addi deniq: aut immutari oporteret, ostendebāt. Quo circa ab eo discedebat nemo, qui cū immensum prope rerū usum uitæ diuturnitati ac dignitati, multiplicē et exquisitam eruditionē exactæ in optimis studiis ætati tribuisset, incomparabilem certe dicendi copiam, uarietatem, iucun-*

*ditatem atque in primis in affecta iam senectute memoriæ firmitatem summam non admiraretur. Nemo qui hæc à natura data, aut ulla humana industria comparata, & non à Deo ipso, de manu (quod aiunt) tradita iudicaret. Ipse equidem ex eius conspectu & sermonibus incredibilem quandam tum oculis, tum auribus uoluptatem capiebam: Nam si latine loqueretur, apte quidem ad nostri temporis consuetudinem atque accommodate dici omnia intelligebam: Sed ita, ut neque purius, neque elegantius ueteres illos latinæ linguæ auctores, qui sæculis eruditissimis floruerunt, locuturos fuisse putarem: Iam si Græcorum uel sententias, uel uersus, quod in promptu illi erat maxime, pronunciaret, priscum orationis Græcæ sonum, & plane atticam uocum appellationem, mihi uidebar agnoscere. Illum itaque cum audiebam, ueniebat protinus in mentem, non cum iis tantum principibus uiris, qui patrum memoria literarum atque eruditionis laude in Italia præstiterunt, comparari eum posse, Alfonso Neapolitanorum Rege, Laurentio Medice, Guidone Feltrio, Pico Mirandulano. Sed tales tacita mecum cogitatione fuisse statuebam, uel Periclen illum Anaxagoræ auditorem, qui sapientia atque eloquentia Atheniensium ciuitatem annos plurimos rexit: Tam claros olim omni sapientiæ gloria apud Lacedæmonios Xenophontis Agesilaum, Apud Thebanos Lysidis Tarentini præceptis Epaminundam extitisse. Quatuor ego Romanos principes & imperio, & literarum exacta quadam cognitione eminuisse in ueterum libris comperio: Cæsarem dictatorem, C. Cæsarem Octauianum, Aelium Hadrianum, M. Antonium cognomento philosophum.*

*His*

*His ego omnibus tam fuisse literis parem, quam, quod dubitari non potest, morum probitate ac sapientia anteisse Paulum censeo. Atque omnino, quod Tacito Imp. aliquando curiam totam acclamasse legimus, ad Pauli tempora multo iustius reseruari debuisse. Quis melius, quam literatus imperat? Et sane in eius faciem intuens, non ingenii tantum, & praeclare atque omnino diuinitus constitutae mentis certissimum lumen, sed maiestatis etiam atque imperii perspicuis quibusdam expressam signis, oculorum, uultus, manuum, membrorum omnium, totius deniq: staturae modulo conformatam, ad summam ac praecipuam dignitatem speciem, cum tacita quadam & iucundissima admiratione aspiciebam, atq: ociose, ita ut expleri tamen non possem, singula contemplabar. Sed quoniam, ut in corporis figura se animi habitus ostentet, multoque magis eum oratio proferat & enunciet, locupletiora tamen sunt & clariora intimorum sensuum, & suarum cuiusq: uolutatum testimonia, quae quis egerit ac fecerit: Acta iam ipsa factaq: Pauli urbi nota & spectata, & ad extremos iam orbis terrarum recessus illustri fama perlata, qualis, quantusque princeps, quamque dignus fuerit, qui non Pontificum modo, sed Regum etiam omnium uirtute ac sapientia maximus haberetur, omni posteritati, si mihi id optare, ius fasq: est, per hanc laudationem meam fidem faciant. Hic ego non eas, quae uel requiri, uel laudari solitae sunt in priuatis etiam hominibus uirtutes persequor, pudorem, continentiam, frugalitatem, modestiam, lenitatem. Haec & horum similia humani animi ornamenta, dum certis honorum ordinibus contineretur, quantopere Farnesius coluerit, suis*

Oris dignitas.

*non est prorsus locis prætermissum. Neq: statim ut supra omnem ordinem esse cæpit, earum sibi laudum decus aut non retinendū, aut non potius nihil minus, quam supremæ dignitatis fastigium poposcisset, amplificandum censuit. Silentio itaq: humiliores quædam (ut ita dixerim) eius laudes inuoluantur, nihil de innocentia dicam, nihil de humanitate, nihil de comitate, nihil de mansuetudi ne et suauitate, quibus certe laudibus cum æqualibus, tum suis in quouis ordine collegis ita antecelluit, ut sine inuidia mirificā sibi omniū beneuolentiam conciliaret. Sui sane corporis, et salubrium atq: insalubrium notitia, motus & quietis tempestiuitate obeunda, quibus rebus in tam longum sibi spacium uitam prorogauit, medicorum omniū peritiam superabat: Sed multo ille quidem ma gis abstinentia, sobrietate. Sed harum ego pulcherrimarum quasi animi dotium, facile patior nullam pene uideri à me rationem ha bitam, modo ut quæ in generosissimo principe præcipua quadam cum admiratione spectantur, iustitiæ, fidei, magnificentiæ, liberalitatis, clementiæ, placabilitatis, facilitatis, constantiæ, auctoritatis opera, non indiligentissime uisus fuero collegisse. Atque in summa ostendero, omnium eum ciuilis prudentiæ partium, quas animo & memoria compræhensus haberet, magna nobis & peril lustria documenta reliquisse. Nam cum ille in omni uitæ, munerumq: suorū parte nunquam ab officio discessisset, nisi eos omnes qui familiæ suæ nomine continerentur, sui quamsimillimos perpetuo præstitisset, iure de sua existimatione multum detrahi posse putabat. Fuit igitur illud plane nouum, atq: omnino in omnibus regnis ac principatibus inusitatum, quod in tanto familiariū domesticorum*

Familiariū, necessariorū, nepotū probitas, abstinentia.

*mesticorum numero, ne unus quidem repertus fuerit, qui per .xv. ipsos huius pontificatus annos iniuria quenquam lacessierit, contumeliosus in quenquam fuerit, dicto, factoue alterū lædendi, aut licentiam se habere arbitraretur: aut improbe si fecisset, impunitatē speraret. Ea erat totius domus disciplina, ut de principis gratia quiuis recte uiuendi ratione & officiorum diligentia certaret: Cum accumbenti, sedentiúe ministri sui assisterent, chorum illum quendam, non coronam diceres: Intentos ad eius nutus & directos omnes oculos habebant: Quæ dicerentur summo cum silentio auscultabant: Nemo, nisi cum maxime opus erat, ac nisi quā parcissime loquebatur. Metuebant eum infimi: uerebantur honestiores: carum omnes habebant. Atq: eò erat in his & sui officii obseruantia, & à cupiditatibus uacatio admirabilior: quod eos PAVLVS non tristi seueritate, nō imperandi acerbitate, sed affabilitate alios, alios beneficiis, hos tempestiuis laudationibus, illos mitibus monitis & lenissimis obiurgationibus, aspectus ipsius uerenda quadam maiestate, & ea maxime quam de eius diuinitate habebant, opinionis ui et auctoritate omnes in officio cōtinebat. Sed quid ego eorum qui honoratioribus apud eum muneribus fungebantur, continentiam et uerecundiā admirer? Multi sane ex illis, (quod in Regum domibus usu euenit) et claro loco et non uulgaribus fuere honoribus præditi: in ordinem tamen eos cotidiani officii ratio adducebat: Ne quid quod grauiore dignū esset repræhensione, committerent, tacita quædam inter ipsos et de principis gratia maxime solicita æmulatio, tum aliquis etiam animaduersionis metus deterrebat. Sed quid ipsius nepotes Farnesii quatuor?*

Sfortia

*Sfortiæ iam puberes tres? Quam illi non peruulgato prædiuitum ac beatorum iuuenum more, & libidines suas domitas habuerunt, atque omnes cupiditates cohercuerunt? Recordamini, Patres (uidistis enim uestrum aliquot, audire omnes potuistis) quam fuerit aliorum Pontificiorum nepotum effrenata audacia, quam intoleranda fuerit sociis atq; huius imperii ciuitatibus, eorum petulantia, superbia, crudelitas. Cum illis Pauli nepotum uitam & mores conferte: statuetis profecto his humanius ac moderatius nihil: Illis nihil ferocius, nihil sæuius, nihil impotentius. Quid enim hi florentes ætatibus, circunfluentes opibus, assectatoribus & clientibus stipati aut per uim unquam fecerunt? aut quid cui unquam inuito ademerunt? in quamue domum probrum aut infamiam intulerunt? Quid summo aut infimo cuiquam debuerunt, quod aut sponte non dissoluerint, aut à se exigi non æquissimo animo tulerint? Quanquam quid ego uiros, & eos uiros nihil unquã egisse turpiter dicam, nullo se unquam scelere obligasse, quorum non modo tanta sit, quanta in nullis unquam fuit iuuentutis principibus, eximiæ indolis expectatio, sed tam præclara cotidie magnarum uirtutum se decora in publicam hominum lucem proferant, ut quiuis facile eos possit Pauli nepotes atque alumnos agnoscere? Cum hanc etiam, quæ ex pulcherrima & rectissima nepotum institutione in Pauli nomen redundat, gloriam mirifice augeat Victoria Farnesia Guidonis Baldi Vrbinatiũ Ducis uxor,* Victoria Farnesia. *quæ cum iis omnibus laudibus semper excelluerit, quas in principe & Augusta fœmina inesse oporteat, ut nuper Romanis uirginibus, pudoris, modestiæ, probitatis lumen prætulit, ita nunc*

*summi*

*summi loci matronis omnibus fidei, officii, pietatis, humanitatis, mansuetudinis, atque in primis sanctissimi in coniugem suum, è quo iam mater est, amoris, maiora in dies atque illustriora pergit exempla edere. Ac tales quidem Paulus domesticas appari tiones ac necessitudines praestitit. Quid uero? amicitias humanae uitae firmissimum praesidium quemadmodum coluerit, ex eo maxime perspicuum est, quod cum & longa aetas, & magna temporum uarietas, & singulare ipsius de bonis benemerendi studium, infinitum prope ei amicorum numerum comparasset, neminem omnino beneuolentia sua dignum duxit, in quo aut amoris perpetuitatem & constantiam, aut in suscipiendis cum opus foret, ipsius causa laboribus, aut periculis adeundis animi alacritatem desiderarit. Violatae certe fidei unus tantum ei poenas maiestatis damnatus dedit. Atque is quidem non modo secum seuere agi questus non est, sed facinoris quam commeruisset, aestimationem ex Pauli clementia sibi alleuatam ultro confessus. Permanserunt reliqui in officio: & fidelitatis profecto suae, nemo non fructum tulit. Nam statim ut ad Pontificatum Max. peruenit, & uiuentibus ac praesentibus gratiam retulit, et absentes pro sui quenque loci atque ordinis ratione, ad certos honores & munera, nonnullos etiam ad uestram istam, Patres, purpuram, tum ex Italiae urbibus, tum ex Prouinciis euocauit: Tantaque est eos caritate ac beneficentia complexus, ut ambigi non posset, si praeclara illa scientiarũ lumina, Ficini, Laeti, Mirandulae, Politiani, quos adolescens coluerat, ad haec tempora peruenire potuissent, cupide omnes & liberaliter ornaturum fuisse. Sed cum mors illi hanc facul-*

Qualis in amicos.

*tatem iampridem præripuisset, tam frequenter eos in ore habebat, ita sua exornabat cōmemoratione, ut facile intelligi posset, non minus pie ab eo mortuos desiderari, quam fuissent uiuentes magnifice honestati. Age uero, qui se talem domesticis familiaribus, talem amicis præbuerit, qualis in populos ac ciuitates fuerit, quæ in ipsius ditione fuerunt, uideamus. Primum ille ut se imperante quambeatissimæ essent, præcipuæ & antiquissimæ curæ sibi esse debere cum intelligeret, legatos in eas suos & præfectos dimisit, uiros graues & ornatos, & spectata cum uitæ integritate, tum nominis auctoritate. Per eos & bonis legibus, quas antiquari siuisset superiorum præsidum (ut leuissime dicam) incuria, restitutis & nouis perlatis, passimque per oppida omnia ac municipia seuerissimis propositis edictis, breui omnem facinorum improbis licentiam ademit: Impunitatē cohibuit. Vim omnem compressit: Factiosos à turbulentis cogitationibus pœnæ metu deterruit: Optimum quenque ad quietis, ocii ac tranquillitatis minime dubiam spem erexit & excitauit. Ciuium in primis concordiæ, iurisdictionis æquabilitate ut consuleretur, operam dedit. Nullo itaq; tempore, aut æquiore conditione cum aduersario experiri licitum est in priuatis iudiciis, aut ex iuris, æqui boni præscripto, lites & controuersiæ diligentius cognitæ. Nunquam potentiores gratia, aut pecunia ad tenuiores opprimendos minus ualuerunt. Ac certe sublatis corruptelis & largitionibus, nunquam minus differendis uadimoniis, aut comperendinationibus iterandis, uel à patronis, uel à iudicibus obscuriores personæ aut expilatæ, aut laceratæ. Quid nunquam minus dico? cum certis quæsitoribus*

De populorum in ipsius Pōtificatu fœlicitate.

*in ma-*

*in magistratus anquirendi, et populis prouocandi potestate data, nunquam in eos grauius fuerit animaduersum, qui aut iniquis iudiciorum disceptationibus, aut ullo uel calumniarum, uel cauillationum, uel quouis iniuriosarum actionum genere, cuiusquam bonis & famæ periculum creare conati fuissent. Iam uero in criminibus plectendis adhibita quidem est seueritas, ne remissior scilicet lenitas in licentiæ deduceretur exemplum. Sed ita capitalioribus est fraudibus pœna irrogata, ut suus tamen in iis cum tolerabiliores essent, noxis clementiæ, suus fuerit semper misericordiæ locus. Magno hæc à uobis, Patres optimi atque amplissimi, et ab omni hac ornatissimorum uirorum corona cum assensu audiri ex eo intelligo, quod tantum silentium ut ab initio Pauli laudationi datum iri nihil dubitare potuerim, orationi certe meæ, præsertim uero si longius ea proueheretur, tam perpetuam attentionem optare magis quam sperare debui. Sed si quis fortasse, quæ à me de ciuitatum iudiciis dicta sunt, commentitia & quasi de commentariis qui de iudicum officiis conscripti sunt, sumpta arbitratur, Is qui status fuerit singularum ciuitatum sub Pauli imperio, ratione & animo complectatur. Intelliget profecto, intelliget, non fuisse ciuitates tantæ concordiæ, tanti animorum consensus, tantæ seueritatis, tantæ denique omnium ordinum hilaritatis ac lætitiæ compotes futuras, nisi optimarum legum sanctitate, earum fuisset fælicitati prospectum, nisi iuris æquabilitate, iudiciorum ac iurisdictionis tum seueritate, tum moderatione perfectum esset, ut sua quiuis facile ac sine molestia tueretur, ab alienis mentem, oculos, manus abstineret. Quod si ægra pleruniq; & grauiter affe*

cta ac iam prope desperata corpora, tum medicorum solertia, tum eorum, qui illis assederint, diligentia, fide, assiduitate recreata, et ad bonam ualetudinem restituta confitemur: Cur quisquam populorum salutem, et incolumitatem à PAVLI consilio et prouidentia, atque eorum qui pro PAVLO urbibus præfuerunt, integritate, & fideliter ac scienter munerum suorum obita procuratione profectam non existimet? Verũ enim in PAVLI pontificatu non salus tantum & incolumitas ciuitatibus obtigit: sed neque unquã opibus firmiores, copiis locupletiores, uirtute & optimarum artium studiis honestiores fuerunt. Externa bella procul ab Italia quasi uisceribus amota, ciuilibus contentionibus, rixis & iurgiis, unde omnis existere consueuit seditionum atrocitas, publici priuatique iuris nutu & auctoritate frem fuerant iniecti. Placato supplicationibus, & diuinarum rerum accuratissima administratione, atq; in primis emendanda uitæ ratione, summo Deo, nulli unquam ætati hominum maior salubritas contigerat. Vno tantum incommodo (ut nulla est humanarum rerum satis plena & absoluta fœlicitas) unico inquam incommodo, ac uerius calamitate, infimæ & egentis multitudinis fortunæ affligi poterat: nisi eius quoque calamitatis metum parentis optimi ac sanctissimi uigilantia remouisset. Agrorum communis toti fere Italiæ, & pertinax quædam in multos annos sterilitas non mediocre famis periculum importarat. Dimissis in longinquas prouincias frumentariis, ita ei periculo PAVLVS occurrit, ut magno frumenti numero comportato, nulla suæ ditionis ciuitas alimenta desiderarit, & annonæ charitatem non maxime tolerabilem senserit. Facile

uero

*uero omnis opificum turba, & ii omnes, quibus esset è cotidiano quæstu uictus quæritandus, esse frumenti precium paulo impensius patiebantur: dum earum calamitatum, quas proximis superioribus fere omnibus annis perpessi fuerant, metu carerent: ne scilicet aut militum itineribus, et sæpe hostium populationibus agri, aut magnorum exercituum hybernis urbes essent infestæ, Ac nedum inter ciues ob seditionum tumultus gladii distringerentur, ipsi clausis tabernis atque officinis, suam coniugumque suarum, & paruulorum liberum famem fœnerato corrasis numulis solarentur. Quantos uero fructus, quanta commoda, libera commercia, tuta itinera, Aemiliæ, Flaminiæ, Aureliæ, Cassiæ, Valeriæ, Appiæ oppidis, uicis denique omnibus ac diuerticulis attulerunt, non latrociniis solum, sed latronum etiam nomine, per eorum, quos Paulus ciuitatibus præfecerat, curam ac diligentiam oppresso, sublato, penitus extincto? Neque enim ullo ante unquam tempore, maiore uel mercatorum, uel uiatorum frequentia cum urbs ipsa, tum Italiæ fuerunt, qua urbs adiri solet, partes celebratæ: Cum magnos etiam hominum in urbem concursus, uel unius tanti principis, tamq; Augusti ac tam uenerandæ maiestatis uisendi studium pertraheret. In magna igitur rerum omniũ copia ac perpetua populorum celebritate, et à superiorũ temporum calamitatibus respirauimus, et insolita quadam lætitia exultauimus. Festi dies cum solẽnibus pompis agitari, nuptiæ inter ordines creberrimæ cõiungi, soboles agnascere, iuuentus propagari, excoli liberaliũ studiorum disciplinæ nunquam desitæ: Extulit se et prope ad suum profecit apicẽ eloquentia, quam togatorũ eloquentissimus*

Literæ et bonæ artes omnes illustratæ.

mus ille et ingenio ac literis abundantissimus, pacis comitem, ociique sociam et bene constitutarum ciuitatum alumnam dixit. Iam uero artes quaedam ingenuis finitimae, psallendi, canendi, fingendi, pingendi, aedificandi, eo prouectae sunt dignitatis, tamque magnos ac nobiles auctores nactae sunt, ut qui meliores eas reddi, aut magis expoliri atque illustrari posse putet, is naturam & artem, quod sapientes fieri negant, ad infinitatem progredi posse sperare ausit. Rei militaris scientia, remota hostilium dimicationum necessitate, in umbratili quadam & ludicra exercitatione retenta: Ne cum extra Italiam, contra alienas à nomine rituq: nostro gentes delectus haberi, & legiones educi opus foret, rudes plane ad bellicam uirtutem, & non optime instituti & comparati nostri essent Tyrones. Ludi itaque cum saepe intra urbium moenia, ad equestris pedestrisque pugnae imaginem fierent, & iis populi spectaculis oblectabantur, & iuuenum corpora ad Castrenses labores, atq: ad omnis fortitudinis munia exercebantur. Atque hic fuit earum quae Romanae Reip. parent, ciuitatum status. Hac temporum tranquillitatem, hanc uitae elegantiam & honestate, PAVLI prudentiae, atq: aequitati debere se, omnia latinorum, Sabinorum, Piceni, Flaminiae & Aemiliae oppida publicis elogiorum, statuarum & imaginum monimentis testatum ut omni esset posteritati, grate pieque curarunt. In his enim maxime locis, aut nihil omnino unquam turbatū, aut si quid per paucorum factiosos conatus tentatum est, omnis est motus celerius quam uel sentiri potuerit, compressus. Haec certe tempora summus ille summi Dei interpres uaticinatus illis carminibus uideri potest. Erit

De Regiis Pauli quo ad rē Bellicam uirtutibus

*opus iustitiæ pax: Cultus iustitiæ silentium: In omne posterum æuum securitas: conquiescet populus meus in pulchritudine pacis: In tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Quorum utinam temporum, Patres, liceat nobis per diuinam clementiam cursum retinere: Liceat nobis almam & augustam pacem, Liceat præsentem hanc et auream (ut ita dicam) libertatem, Liceat quæ nobis diuini senis, cuius nunc in conspectu nostro exanimum corpus iacet, consilium & sapientia peperit atque effecit, ocia retinere. Atque ut retineamus, in uestra Patres, positum magna ex parte est incorruptæ mentis, atque incorrupti iudicii, quam ad ferendum de* PAVLI *successore suffragium adhibueritis, integritate. In eius perpetua & constantissima positum est, quem uos in* PAVLI *solio collocaueritis,* PAVLI *uirtutū imitatione. Sed institutam nos orationē persequamur, et de reliquis magni huius principis laudibus, carptim pauca & primoribus ueluti labiis degustemus. Hic ego Patres, non defuturus intelligo, qui laudationi huic meæ, quatenus Pont. Max. conuenire uideatur, assentiantur. Et pietate ac religione, iis quos ante nominaui Pontificibus Max. & aliis quibuscunque, per quorum solertiam, doctrinam, sanctimoniam Christi Resp. aucta & propagata est, non inferiorem fuisse concedant. In imperii etiam omni iure ac dignitate tuenda & defendenda, omnibus denique meritis in socias ciuitates ac populos, iis quos omnis posteritas non ut Pontifices tantum Max. sed ut principes etiam optimos ac prudentissimos, summaq; animi magnitudine multo præstātissimos, magna et perpetua dignabitur nominis prædicatione, Martino & Nicolao Quintis: Pio*

& Iulio secundis, Leone.x.Clemente.VII. iis inquam PAVLVM Tertium maiore multo digniorem gloria confiteantur: Nempe quod illis Romanæ Reip. gubernacula & sceptra tenentibus, ea quam PAVLI ingenio, industriæ, sapientiæ fuisse tribuēdam ostendimus, non urbi Romæ, non sociis urbibus tranquillitas temporum & securitas contigerit. Nam & bellis externis arsit Italia, & perniciosissimis ciuitates seditionibus laborarunt: Vniuersa Respub. & ipsa in primis urbs modo secessionibus est conflictata, modo funestis insolentissimarum factionum digladiationibus cruentata. Mitto fugas, exilia, cædes: Mitto prænunciatam toties ostentis, prodigiis, sæuissimisque Tyberis eluuionibus Deum iram, quam toties intolerandæ famis, & fœdissimæ pestilentiæ lue ruunt populi atrocitate. Prætereo, ne ingentis doloris & luctuosissimæ cladis memoriam refricem, importunissimam ac sæuissimam urbis direptionem, profanorum, sacrorumque capitum uiolationem, sacrosancti collegii & ipsius Pont. Max. impiam illam & auditu ipso exhorrescendam oppressionem. Ab his tot tantisq; malis uacuitas, qua quintum iam & decimum ipsum annum perfrui potuimus, in excelsiore multo, quam superiores qui sunt à me paulo ante nominati Pontifices, PAVLVM gloriæ collocat gradu. In maiore enim multo est laude ponendum, ne bella gerenda essent prouidisse, quam uel fortissime bellorum impetus sustinuisse. Est enim hoc plerunque uel necessariæ fortitudinis, uel nimiæ ad subeundam fortunæ aleam procliuitatis. Neque profecto non multo melior est gubernator ille putandus, qui procella impendente in portum se receperit, quam qui cum se aduersissimæ tem-

pestati

pestati commiserit, de sua & uectorum salute in dubium uenerit: Quocirca nemo satis intelligens fuerit satisque rerum æquus æstimator, qui in urbana quoque ac ciuili Reipub. moderandæ ac tuendæ ratione, non ante cæteros quoscunque Pontifices PAVLVM ponat. Arguet tamen fortasse me, quod in PAVLO exornando cupidius prouehar, ac mihi fere nimis indulgeam: qui quasi nesciam regias atque imperatorias uirtutes non urbium mœnibus, aut togæ muneribus contineri, sed in armis multo magis elucere, se in regendis ac ducendis agminibus, signis conferendis, urbibus oppugnandis ostentare, PAVLVM tamen parem facere summis coner principibus, quorum maxime illustres fuere de ferocissimis hostibus uictoriæ, quique bellica uirtute imperium iisdem prope mundi regionibus terminarunt, quibus sol cursus definit suos, cum iam ante demonstraturum me professus fuerim, unum, qui summum orbis terræ principatum teneret, dignissimum fuisse. Atenim non deerunt qui suum hoc esse decus dictitent, suaq; illorum ingenia, quorum trophæa ac triumphi publicis titulorum notis adhuc extant incisi, multoq; (ut ita dicam) uiuacius grauissimorum scriptorum monimentis ad nominis immortalitatem propagantur: Duplicem hanc laudem Cæsaribus, Octauiano, Vespasiano, Tito, Traiano, Constantino, multisque aliis regibus atq; imperatoribus relinquendam: Militarem certe gloriam ad Pauli uitam nulla posse ratione accommodari. Ego uero ut negare non possim, ei qui ad pacis fuerit studia multo propensissimus, atque esse debuerit, non fuisse ad belli ullum munus descendendum: Sic affirmare non dubitem, si quod

eum

*eum tempus, si qua communis ratio salutis, ad iusti piique belli alicuius expeditionem inuitasset, non consilium, non uirtutem, nõ inuicti animi robur, non deniq: corporis quanta esse posśit in tam grandi natu imperatore, ei tolerantiam fuisse defuturam. Non semper praeclaros animi habitus aut expedit, aut usu euenit quasi in actum deduci. In quo inest artis & uirtutis alicuius habilitas quaedam, etiam si nullum extet opus, eius tamen qua pollet, facultatis satis egregiam laudem fuerit consecutus, cum quod praestare potuerit, id necesse non esse praestabilius duxerit. Pacatiśsima illa tempora & plane uti appellata fuerunt, aurea, Saturnum uel in Creta, uel in Italia regnante regis nomine & auctoritate non minus dignata sunt, quam Iouem eius filium, & successorem quae consecuta est exorientibus iam bellis aetas. Sed prisca illa nimis & prope poetica. Sed ut ad historiae me certiśs. fidem referã, sub ipsas urbis Romae origines, non fuit aut primi parentis & conditoris Romuli ferox et bellicosum ingenium, aut Tulli uehemens illa ad arma procliuitas, quam Numae Pompilii qui medius inter hos regnauit, pacatum & conuersum ad religionem & sanctitatem, ut tunc ferebant tempora, constituendam, imperium, regio nomine dignior. Illorum consiliis fuit urbs amplior: huius tutior; Per illos formidolosior: per hunc fauorabilior, ac finitimis populis numinum maiestate, quam ullis uel hominum, uel moeniũ praesidiis munitior. Illum ipsum, cuius paulo ante mentionem feci, Caes. Octauianũ, magis credo aut ciuilia, aut externa bella, quam Ianus clausus, pace terra mariq: parta, nobilitarunt. At perpetuae pacis temporibus & Augusti cognomen S.C. meruit et pri-*

*mus*

*mus post Marcum Tullium Ciceronem est pater patriæ salutatus. Bella gerentem ita oderant homines, ut nunquam natum mallent; ita pacem colentem dilexerunt, ut optare auderent ne unquam moreretur. Eadem in Antoninis Pio, & Philosopho fuit ratio, eadem in Aelio Pertinace, eadem in Decio, quos omnes Patriæ parentes cognomento à populo Romano appellatos, ueterum nobis scripta tradiderunt. Et optimi illud cognominum omnium amabilissimum & maxime fauorabile, non rerum foris gestarum magnitudo, sed urbana in populum Ro. merita Traiano compararunt. Sed quid ego humanorum exemplorũ nitor auctoritate, dum affirmo, magnorum Principum laudes uel in solis pacis operibus satis habere præsidii, ad imperii maiestatem tuendam atq; obtinendam? Summus ipse unicus et sempiternus* DEVS, *non magis profecto rex regum est omnium, minis cum terret, aut supplicio facinorosos atque impios plectit, quam nos, cum munerum suorum largitate reficit & recreat. Ille etiam ipse* DEI *filius,* DEVS *et homo, qui suæ nos uitæ, suæ mortis, sui in uitam atq; in cœlum reditus admirandis mysteriis, salui ut essemus effecit, & omnes ad beatissimæ immortalitatis præmia à sempiterna morte excitatos reuocauit, Ille ipse* IESVS CHRISTVS, *& re & uerbo paternum, et idem cum patre regnum regnorum omnium excelsissimũ possidet. Quam uero ille ab armis homines abhorrere iussit, qui et omnem ulciscendi licentiam sublatam uoluit, et iis quos suæ sibi in terris potestatis successores delegit, tanquam certissimam hæreditatem, et bonorum omnium maximum, quo q; bona alia omnia continerentur, unicam pacem ad patrem in cœ-*

*lum cum immortali corpore ascensurus, quasi testamentum in procinctu faciens, unicam inquam pacem reliquit? Atenim cum de* PAVLI *tanquam de magni & omnibus numeris absoluti cuiuspiam regis atque imperatoris, laudibus sermo sit, industriam et solertiam ei bellicam non defuisse ostendamus. Primum ille quidem suæ ditionis urbes omnes, quibus hostiles uel incursiones, uel oppugnationes metui possent, in Gallia Cispadana, Vmbria, Piceno, Latio, Sabinis, ipsam in primis urbem Romam, muris, arcibus, propugnaculis atque omni operum genere ita muniuit, ut neque tanta impensa tantaque celeritate, uel intra tam paucos annos una aliqua urbs, uel plures urbes omnibus annis muniri potuisse uiderentur. Tantam intra earum quas significauimus urbium mœnia, Aenearum balistarum, Tantamque eorum quæ diu seruari possent, commeatuum copiam congessit, ut siue obsidiones propulsandæ forent, siue sustinendæ, uel potius eludendæ, firmamenta nulla ualidiora ad populorum fidem & beneuolentiam accedere potuerint. Ea in singulis cum opus fuit præsidia, eosque præsidiorum præfectos collocauit, ut cum militum fide ac uirtute, magis quam numero pollerent, & fideli ciuitates custodia uterentur, & ærarii rationes immodicis non onerarentur stipendiis. Atque ea quidem fuit in præsidiariis omnibus principis uerecundia, ut non modo nihil quod ab illis improbe factum esset, nulli unquam oppidani questi fuerint: Sed quod tales, tamque abstinentes dedisset sibi fortunarum suarum custodes,* PAVLO *sæpissime gratias publice ciuitates egerint. Iam uero cum pœni prædones maiore iam quam ante actuariarum et lemborum*

Vrbes munitæ.

borum

borum numero Italiæ littora infesta redderent, ad Piraticam illam audaciam cohercendam classes duas, ad Anconem unam, alteram ad Centumcellas habuit, ita instructas et ornatas, ut ad has superi, inferique maris oras aut omnino Piratæ non accederent, aut si aliquando appulissent, incautius id se, quam insidiosius ausos, malo suo edocerentur. Ad hunc modum PAVLVS, & imperii sui fines perpetuo tutatus est, et omnium quæ in ipsius fuerunt imperio, ciuitatum saluti atque incolumitati consuluit. Et eum ego, qui in rebus cum imperatoriis artibus coniunctis consilio optimo sit usus, qui omnia prouiderit experienter, cauerit solerter, confecerit celeriter, Eum inquam spiritus regios atque imperatorios habuisse non putem? Citius illi mihi qui admirandi operis ædificium metatus fuerit, non fuisse dicatur architectus, quam qui imperatoria uel in propulsandis tantum hostium iniuriis munia scientissime obierit, in imperatorum is numero non reponatur. Quid uero, cum semel atque iterum futuri belli rumores percrebuissent, qua cura, qua diligentia & delectus habuit, & ueteranorum cohortes sub optimis & præstantissimis Italiæ ducibus, per ea loca quo periculum intentari posset, disposuit, et iustos exercitus usque dum omnis tumultus conquiesset, & minæ iactari ac proponi desitæ fuissent, aluit? Atque illud quidem satis inter omnes constat, quibus PAVLI heroica illa, aut diuina potius animi magnitudo ac sublimitas, illaque, quam paulo ante attigi in imperatorio omni munere fungendo habilitas, familiarius nota fuit, si quod nunquam contendere destitit, Reip. proceres exorare potuisset, ut communi consilio atque opibus, commune sa-

Delectus habiti ad vrbiũ præsidia.

*crosanctæ crucis uexillum secuti, in Turcas bellum terra mariq; susciperent, ei tam iusto sacroque bello, ipsum ipsummet & interfuturum, & præfuturum fuisse. Neque id uobis, Patres, de tam generoso, tamque ueræ solidæque gloriæ cupido principe dictu absurdum uideri debet: Nam & animi immensam illam, & maxime piam alacritatem iuuisset atque incitasset, unicæ religionis quo flagrabat amor, restituendæ Christianis populis, qui nunc miserabiliter immanissimis hostibus seruiunt, pristinæ libertatis spes, extorquendæ de sæui ac truculenti Tyranni manibus Græciæ, cuius à puero linguam, literas, disciplinas adamarat, uehemens et inquies cupiditas. Corpus, uti scitis, natura siccum, frequentique motu, urbanis & agrestibus ambulationibus, multis & singulis itineribus exercitum habuit: labores unus libentissime ac de industria uoluntarios tulerat, ut perferre aliquando posset etiam necessarios. Quam patiens uero fuit æstus & frigoris, qui quoties equo esset iter ingressus, uix uento, uix imbre, uix puluere adduci posset, ut in lecticam descenderet? Quam uero ille senectuti nunquam indulsit? quamque nunquam illam sibi molestam sensit? Qui suadentibus aliquando in longinquiore itinere, domesticis comitibus ut se respiceret, urbane (ut sæpe solebat) quid me inquit facere oportuerit, cum senex fuero? Acute nempe, qui multa, quæ senem (ut Poeta inquit) circumueniunt incommoda, nulla ipse sentiret, eos qui ut senectuti suæ parceret, hortabantur, illusit. Quam uero præclaros uel si classe, uel si pedibus contendisset, comites, quam certa tuendæ ualetudinis præsidia habuisset, mirificam sobrietatem, & in cibo potuque, atque omni uictu temperantiam,*

*tiam, quibus rebus facile perfecit, ut et pauciores quàm quisquam unquam princeps somno horas dederit (cum antelucana sæpe tempora uel in negociis, uel in uia sine ulla molestia consumere potuerit) & medicis uti, unus omnium quàm minime necesse habuerit. Vires itaque corporis, hæc firmas perpetuò & æquas pro pe animi uiribus præstitissent: Auxisset uero ingens ob susceptam atque exorsam tam piam, tamque exoptatam expeditionem lætitia. Verum cum illum nimis, heu nimis, propagata intestinarum discordiarum semina, pulcherrimi uoti compotem esse non siuissent, alia quæ ad armati imperatoris acta quodam modo referri poßint, rei præclare ac magnifice gerendæ tempora atq: occasiones non prætermisit. Nam cum ipsummet non deceret, bello rum causa quæ non indicerentur ab uniuersa Repub. à sacrorum procuratione, à Romanis aris, focis, puluinaribus discedere, bellantem certe cum Turcis Cæsarem instructißima classe, & aliquoties terrestri exercitu pecuniaque plurima iuuit: Eidemq: ferocißimos Germaniæ populos impiis à religione institutisq: maiorum, seditionibus abalienatos in ordinem cogenti, ab urbe in Noricos usq: et Vindelicos lectißimas ad mille et ducentorũ equitum turmas, peditũ amplius duodecim millia præsidio misit. Quibus sane auxiliis, post ueteris illius Ro. Imp. immutationem, quando uel maiora, uel meliora, uel ad speciem etiam ipsam pulchriora alpes transcendissent, qui ea tunc spectarunt, neq: se uidisse, neq: audisse, neq: legisse meminerunt. Eò uero fuerunt admirabiliora, quod illis cum Alexander his Farnesius, PAVLI legatus, ducum uero nomine, Octauius Farnesius et Sfortia Sanctiflorius imperarent,*

In Germaniam missa auxilia.

rent,

rent,ita permansit in officio miles,ut quacunque illa agmina iter facerent,non detrimenta, sed quæstum,non molestiam, sed uoluptatem populis apportarent. Haberent uero præ oculis, quibus res gestæ P. R. ex literarum monimentis cognitæ essent, priscæ illius continentiæ exempla: Neque magis fuisse uel Africani, uel Catonis Censorii,uel Aemilii Scauri, abstinentes exercitus putarent. Nos uero qui non prorsus ignorabamus, quæ præcepisset, quæ monuisset, quibus cum mandatis nepotes tris PAVLVS dimisisset, in trium adolescentium ductu auita consilia & auctoritatem intuebamur. Atque harum quidem copiarum aduentus uix dici possit,uel quantam hostibus trepidationem iniecerit,uel ad quantam successuum spem Cæsarianos erexerit.Vidi ego,cum in castris,quæ tunc ad Naustadium Vindelicorum castellum in ulteriore Danubii ripa fuerunt, legatum Cæsar complexus,alacri uultu atque oratione,optatissimam sibi atq; opportunissimam rebus suis,illam tam præclari subsidii accessionem est gratulatus.Et profecto quæ in Germania illæ cohortes, illi duces,illi ex urbano delectu milites,uirtutis suæ monimenta reliquerint,nihil attinet hoc loco dicere. Neq: enim iam nunc defuerūt, qui suis eas res commentariis expositas in uulgus ediderint.Satis liquido iam ex iis,quæ de bellicis rebus à me sunt perstricta,constare arbitror,magni imperatoris PAVLO, neque animi comparationem quandam,neque postremo aliquam etiam declarandæ bellicæ fortitudinis facultatem defuisse. Sed orationi modum iam meæ statuere conanti, cum se mihi plurimæ etiamnum offerant regiæ summi huius principis uirtutes, neque possint omnes

breuiore,

*breuiore, quam pro tantarum laudum numero, oratione conclu-di, ex iis tamen nonnullas, quæ in* PAVLO *maxime illustres fuere, maximeque eminuerunt, tacitus nullo modo præterire pos-sum. Ac primum quidem tanta fuit humanitate, tantaque af-fabilitate, ut quos opinione iudicioque suo probasset, & ultro cum peramabili quadam oris hilaritate, & uerborum lenitate ad ser-mones conferendos inuitaret. Et ad eum nemo sane unquam bo-nus accesserit, quin eius oratione semper conciliatus, beneficio sæ-pe deuinctus abierit. Iam uero cum uel opulentissimi reges, tan-tas tamen opes non possideant, ut omnium postulatis liberalita-te sua possint respondere: Neque tam late potest gratia patere, ut omnibus quæ rogant, omnia concedi ius fasque sit:* PAVLVS *nemini cum potuit & licuit, non benignissime fecit. Quod uero sibi proximum beneficentiæ locum uindicat, tam fuit omnibus aditu facilis, ut non modo salutatores atque interuentores ad in-timos domus recessus admitteret, sed in publicum cotidie, cum per ualetudinem liceret, prodiens, sui conspectus & aurium omnibus cuiusuis gradus & ordinis, summis æque atque infimis copiam fa-ceret: Ac dum uel deambularet, uel gestaretur, uel equo, uel le-ctica portaretur, diceret apud eum summota turba quamdiu quisque uellet, & audiretur placidissime, atque ita dimitteretur, ut ne à priuato quidem homine, æqualique suo audientiam sibi be-nigniorem fieri potuisse prædicaret. Neque uero tantum ad man-suetudinem, gratiamque suam impertiendam mitis & lenis fuit, sed animaduertendi etiam in eos, à quibus & lacessitus & læsus fuisset atrociter, moderatione omnibus cum ueteris, tum recentis*

Clementia. Humanitas. Affabilitas. Facilitas.

*memoriæ*

*memoriæ principibus ita antecelluit, ut hac ipsa præcipue regia, atque adeo diuina uirtute, quam bonitatem, placabilitatem, clementiam appellamus, quasi cælestibus alis supra omnem humanitatis laudem sublatus, in sempiternas illas cælitum sedes facile ac merito subuolasse credi possit. Nam grauissimis illum, & quibus nemo unquam maioribus, & à quibus minime debuit, prouocatum iniuriis omnes meminimus; & ulciscendi quidem id si optasset, potestatem scimus ei defuturam non fuisse. Nulla tamen in eo unquam iracundiæ, uel odii uestigia animaduertimus. Possem ego, Patres, quibus, quas fraudes, quæ coniuncta cum publico scelere, in ipsum, familiamq; ipsius totam, excogitata & patrata facinora ignouisset, commemorare; nisi ipsum quam leniter & misericorditer dum inter nos uiueret, maximas & fædissimas iniurias obliuisci uoluisset, tam pure nunc & sancte, immortali iam uita fruentem, illarum etiam rerum, illorumque hominum parci nominibus uelle putarem. Auocant præterea ad se orationem meam uirtutes duæ, tam magnæ tamq; præclaræ, ut per eas maxime humana cum diuina natura coniungi & copulari uideatur. In earum altera decoris inest, ordinis atque omnis concinnitatis perpetuitas: In altera magni elatiq; animi splendor, & cotidianos hominum conatus exuperans magnorum operum molitio ac designatio: Priorem constantiam, hanc magnificentiam appellamus: Atq; ut cæterarum omnium uirtutum, sic harum maxime è diuina mente existunt perspicua & illustria exemplaria. Quid enim aliud, eam quam admirari nunquam desinimus, huius tam elegantis tamq; operosæ molis quem mundum dicimus, pul-*

Clemētia

Animi moderatio.

chritudinem

*chritudinem effecit & expoliuit, quam superiorum inferiorumq; rerum uarietatis, ac uicißitudinis in eundem semper ordinem, ac naturæ consensum continuata ratio? Atque ob hoc quidem primum fonte Constantia ipsa in hominum actiones influxit & deriuauit. Iam uero illa cœlestium orbium, atque ignium immensa prope magnitudo, illa è rudi atque informi materia corporum omnium architectatio, et ad uniuersitatis formam partium inter ipsas coagmentatio, ad diuinorum operum primum admirationem, deinde ad quendam imitationis conatum, quantum inter has humanarum rerum umbras licitum esset, hominum mentes erexit & excitauit. Suos itaq; hinc ortus nacta est, quæ magnis maxime principibus propria semper uirtus fuit, Magnificentia. Harum utraque quosnam sibi ad superos gradus* PAVLVS *extruxerit uideamus. Ac primum, quid ego, quod uulgo notum est omnibus, in uitæ, uictusque parte qualibet, atque omni ocii ac negocii dispensatione nihil eo dicam ordinatius, elegantius, decentius fuisse? Nihil in dictis factisque omnibus grauius? In senatu statis diebus habendo, supplicibus libellis subscribendis, in legationibus audiendis, priuatorum causis cognoscendis, diuinisque in primis rebus procurandis atque celebrandis, fuisse quem sibi semel præscripsisset, modum æquabiliter semper ac perpetuo, suoq; maxime tempore ab eo conseruatum? Cum unicum eius factum facile quam admirabili constantia fuerit, planum et perspicuum faciat: Et quod nam illud fuit? Cum semper inter dißidentes reges Pont. Max. medium esse debere atque in neutram partem propensiorem statuisset: Ipse nullis precibus, nullis præmiis, Ne-* Cõstantia

*que cum regna nepotibus, neque cum Victoriæ nepti tunc nubili, regii filii nuptiæ proponerentur, ab optima sententia deduci potuit: Semper inter Gallorum Regem, & Cæsarem æqualis & medius fuit, ad extremum usque mortalis uitæ punctum: Semper pacis quasi sequestrem, & caduceatorem se gessit. Age uero de* PAVLI *publicis operibus, quæ se priscæ ueteris urbis magnificentiæ ferè æquarunt, neq: multa, ne uestram in audiendo patientiam fatigemus, neque omnino nihil, ne tam præclara, tamque regia maximi principis uirtus prætermittatur, dicere aggrediamur. Hac ego in parte non sericam, uel auream uestem ad sacrarii et pontificiæ domus ornatum comparatam, quæ ob textilis operis pulchritudinem cotidie cum summa admiratione spectatur, non facti auri & argenti luculentum pondus, non pontificium diadema triplici præfulgens gemmarum, & margaritarum ordine successoribus relictum, non epuli apparatum, quod bis quot annis, quo die scilicet renunciatus fuerat, quòque coronam cœperat, publice dedit, non Agonalia, non ludos in Testacei collis area, ex longo temporis interuallo, magnificentius multo quam ante factos memorabo. Speciosa quidem hæc, & ualde etiam ad hominum memoriam insignia: At illa quanto ampliora? quæ cum* DEI *& diuorum cultu, cum Po. Rom. ac totius urbanæ multitudinis uitæ ac fortunarum tutela coniunctam magnificentiam habuerunt? Templa ad sempiterni* DEI *ac diuorum decus alia dedicauit, alia erexit, alia uetustate collapsa, sartis tectis nouandis ac restituendis instaurauit: Nullam omnino sacrarũ ædium sacra ueste, signis, tabulis, argento, & auro plurimo non exornauit.*

Magnificentia.

Publica opera sacra & profana

*uit. In huius uero ipsius, in qua hodierno die funebris hæc pompa ducitur, Basilicæ exædificationem tãta cura incubuit, ut ea iam prope ad fastigium perducta, substructionum magnificentia, cum sacris omnibus huius ætatis ædibus antecellat, una cum septem illis, quæ olim miraculo toti orbi terrarum fuerunt, operibus comparari posse uideatur. De noua quidem cella, quam* PAVLO *familiari cognominiq; diuo suo dicauit: Deq; Atrio, quod regum legationibus admittendis destinatum, regum nomine celebratur, quid attinet dicere? Duobus his certe operibus, siue sigillati lacunaris artificium, siue picturarum pulchritudinem spectes, nihil esse in urbe uideatur, quod cum à Basilica discesseris, maiore sit cum admiratione conspiciendum. Iam uero uel anniuersarias, uel ex longiore temporis interuallo repetitas supplicationes, ante ipsum certe nemo apparatius instruendas, aut solenniore cum pompa, maioreue Populi Ro. concursu celebrandas curauit. Intellexit præterea* PAVLVS *grauissimas atque infensissimas duas urbis felicitati aduersarias esse, crebram & prope annuam pestilentiam, & mœnium, quorum omni fere ex parte hosti urbs erat peruia, infirmitatem. Primum igitur qua cura, qua diligentia, qua operum impensa prouidit, ut non minus perpetuo salubres essent urbis regiones, quam ante fuerant pestilentibus morbis infestæ? Nam & stagnantes in uaticani, et Ianiculi ualibus in paludium modum, aquas, quod earum exhalationibus cœlum ab ea parte grauius redderetur, deductis fastigio in longinquiora loca fossis, exsiccauit. Vicorum et angiportuum tortuosos flexus ita remouit, ut uiis ad lineam ubique directis, & recentes* Paludes exsiccatæ. Viæ directæ.

*ſemper auras domus admitterent, & uentorum flatibus quaſi liberius præterlabentibus, tum ſolis tepores lenirentur, tum uero ad tentanda, lædendaque corpora nullam moram noxii halitus haberent. Perfectum itaque eſt, ut uetere illa urbi, qualis nempe fuit, cum in ſeptem ſita eſſet collibus, ſalubritate reddita, multis iam partibus plures huc conuenæ undique ſua transferant domicilia, quam quot ante uel ſola inquilinos aeris, æſtiui præſertim, fugaret infamia. Nouis cotidie domibus areæ occupantur. Noua cotidie hominum frequentia, quam longe lateque patet, urbs celebratur. Priuata uectigalia prolixiora multo, negociatorum fides nullis temporum concuſſa caſibus perpetuo ſtetit, ſuamque tutata eſt iam multos annos auctoritatem. Abundat rerum omnium copiis, omni opificiorum genere ciuitas, & quod poſt ingentes duorum ſuperiorum Pontificatuũ calamitates, ut fieri poſſe crederet, nunquam adduci quiſquam potuiſſet, quando alio unquam tempore aut locupletior, aut pecunioſior fuerit, qui meminerit, aut ſciat, nemo reperiatur. Hanc opulentiam, hæc domeſticorũ bonorũ incrementa non dubitabat* PAVLVS *inuidioſa fore, et ex eo prædatorũ cupiditatem uehementer accenſum iri. Omnia igitur hæc ſibi quam tutiſſima, quamq: maxime cuſtodita ut eſſent, præſtandũ cenſuit. Murũ itaq: ab Auentini fronte cõtra Trigeminũ portam, per eiuſdem montis latera utroq. uerſum, ducere inſtituit, aggere et ſtructura tam illum quidem ualidum, tamq: ullo tormẽtorum, aut machinarũ genere inexpugnabilem, ut omnis inuadẽdæ ab ea parte, qua per Hoſtienſem uiam acceſſus patet, urbis hoſti ſpes eriperetur. Eodemq: tẽpore mirandi operis propugnaculũ ad Capenã portam contra uiã Appiam exci-*

Vrbs munita.

*tauit. Non poterat quidem* PAVLVS *earum munitionum absolutionem sperare, cui ne dum unius quantumuis magnanimi, & uiuacis principis ætas satis foret, sed ad ea quæ inchoata essent perficienda, nullius cuiusquam sufficere posset principatus diuturnitas. Atenim cum cœpisse aliquando tanti semper sapientes fecerint, ut principium facti, dimidium appellare non dubitarint: His certe operum exordiis, & non paruam urbi securitatem peperit, & iis qui successuri essent, & muniri urbem oportere, et quibus maxime in partibus, et qua esset descriptione munienda, præmonstrandum suscepit. Qua ductus ratione, cum paucis ante annis per eam murorum partem, quæ Vaticano imminet, subita irruptione in Transtyberinam regionem facta, urbs fuisset à Barbarico exercitu occupata & direpta, eam ipsam partem ualidissimo muro, atque inexpugnabilibus castellis ac propugnaculis, à Ianiculo ad Tyberim, à læuo Vaticani cornu ad arcem, quæ moli est imposita Hadriani, circunsepsit. Quod certe opus, qui uestrũ Patres,* PAVLO *successerit, is si absoluendũ curarit, et ad* PAVLI *gloriam magno ætatis nostræ plausu aspirarit, & tutũ ac salutarem uniuerso P. R. à belli periculis receptũ præbuerit. Videtis Patres, quam multis, quamq; ingenti dignissimis admiratione operibus, quanto religionis amore, quãto publicæ incolumitatis studio, se orbi ostentarit, seq; in cœlum iam extulerit* PAVLI *magnificentia. Ad eam uero, quem attulit cumulum, excelsa illa ædificii moles, cum eminentissima & pulcherrima in Capitolino monte specula? Illustratum aliis ornamentis Capitolium, & præcipuo quodam insigni translata illuc ab arca Lateranorum, eque*

stri.

*ſtri L. Veri ſtatua, exornatum gradibus Capitolinum Prætoriũ, munitoque ad Conſtantini arcum uno, ad rupem Tarpeiam altero cliuo? Quod ſi his publicis omnibus urbis cum munitionibus, tum exornationibus, ab ipſo dimenſam & iam prope exædificatam, medio inter Floræ campum ac Tyberim ſpatio, Farneſiam domum adiunxeris, attollentem ſe ſupra priuata omnia tectorum culmina, multaque lapidum & columnarum uarietate, luculento antiqui operis ſtatuarum ac ſignorum numero, ſtructuræ magnitudine ac totius deſcriptionis artificio ſpectabilem, quid in publica, aut priuata ætatis noſtræ Maximi, uel Pontificis, uel regis uita ſplendidius, excelſiuſue commemorari poſſit, reperire aut excogitare profecto nequeas. Nam qui urbem Romam, qua paucæ maiores mœnibus in orbe terrarum urbes, nulla ſane auguſtior, nulla maieſtatis plenior, qui urbem ipſam Romam, ſacris & profanis, publicis & priuatis ædificiis, tam multis, quam non multi ante ipſum Pontifices Max. ampliorem atque illuſtriorem reddiderit, qui quam inſalubrem magna ſui parte, & cœnoſam accepiſſet, perpetua cœli temperatione fruentem, atque omni ſoli illuuie perpurgatam, quam hoſti permeabilem, acceſſu difficilem, quam denique ruinoſam, & prope ſenio confectam, firmam & ita ad multam temporis diuturnitatem nouatam reliquerit, huic, quos magnificentiæ titulos, aut inuidere omnis poſtera ætas debeat, aut non potius ſecundiſſimo hominum plauſu tribuere? Expoſui Patres, quantum cogitatione, & memoria conſequi potui, ueſtri Pontificis Max. acta, uirtutes, merita, quæ illum nulli ferè non parem, multis cum Pontificibus Max.*

Domus Farneſia.

Per oratio eorũ quæ de magnificẽtia dicta ſunt.

*Max. tum uero magnis regibus atq: imperatoribus multo superiorem effecerunt: Nunc quoniam summorum uirorum gloria, ut sua à natura primordia, et à uirtute progressus, ita à bono euentu ueluti quandam accipit expolitionem, de* PAVLI *fœlicitate* De PAVLI fœlicitate *eum pauca perstrinxero, huius laudationis iam perorandæ, suam adesse maturitatem intelligam. Vos, patres optimi atque amplissimi, obsecro, postremæ huic orationis meæ parti, pro uestra hodierni mœroris mirifica significatione, aurium atque animorum attentionem tribuite. Qua enim me audiendi patientia prosecuti fueritis, eam piæ* PAVLI *memoriæ, uestroque isti maxime pio luctui condonaueritis. Scio ego Patres, quod facile nos, & sensus communis tacita quædam ratiocinatio docet, & sapientissimorum hominum confirmat sententia, fœlicitatem supra humanam omnem laudem esse, eamque de se præstare neminem posse. Quare cum in Dei tota ferme sit numine ac potestate, neque crimini aduersæ res cuiquam, neque secundæ, laudi tribui satis certa et recta ratione possunt: Deprecari has nobis licet, illas optare: alteras admiratione debemus, non prædicatione, non uituperatione alteras, sed miseratione potius dignas ducere. Recte agere, & perperam, quod nostræ spontis est, aut in laude, aut in uitio ponendum, quod bene & feliciter euenerit, quidquid aggressi fuerimus, totum est id diuini numinis maiestati, quam multis fortunam libitum est appellare, acceptum referendum. Hunc ego cœlestem fauorem tam præsentem ac propitium* PAVLO *uideo fuisse, ut in quonam principe tam fuerit, tanque perpetuo summæ uirtuti admirabilis quædam adiuncta fœlicitas, ut omnia antiquitatis*

*tis exempla animo & cogitatione percurram, reperire profectò nequeam. Quorum enim uita aut nefario scelere fuerit polluta, aut graui aliqua corporis calamitate debilitata. Hos ego neutiquam fœlices, illos etiam miserrimos fuisse dixerim. Potuit'ne. L. Sylla, potuit. L. Metellus fœlicis cognomento satis iure celebrari, cum illius animus perpetuis agitatus furiis, immanitati, crudelitatique suæ nullum unquam modum statuerit? Hic annos multos oculis captus uixerit? Alexandri Magni, & Timothei Cononis filii, Africani præterea et Octauiani Cæsaris fœlicitatem, æque Latina ac Græca prædicat historia: Recens, aut certe non peruetus memoria, Alfonsum maiorem Neapolitanorum regem, P*AVLVM *& Iulium secundos, Leonem. x. Pontifices Max. in fœlicium numero reponit. At in illis & uitæ probra sæpe gloriæ splendorem obscurarunt, & aduersi tum publici, tum priuati casus omnem euentorum prosperitatem contaminarunt. Nostrorum certe non parum secundæ res fuerunt: sed nemo profectò extraneorum fuerit bonorum satis intelligens æstimator, qui non unius P*AVLI*, quam illorum omnium sibi malit atq; expetat fœlicitatem. Quid enim homini fas fuit optare, quod P*AVLO *summus D*EVS *non larga & benigna manu impertiuerit? Optabile est bono genere in amplis fortunis atque in optima urbe nasci. P*AVLVS *è clarissimis ortus est parentibus, & hinc à Pont. Max. illinc à præstantissimis clarissimisq; Ducib. oriundis, iisdemque locupletissimis. Patria ei obtigit urbs hæc, dignitatis, maiestatis et imperii perpetuum domicilium. Præclarum est optimos ineuntis ætatis instituendæ duces ac magistros nancisci.*

Fœlicitatis partiũ enumeratio in qua inest totius orationis quædam quasi sũma.

*cisci. Quare gratiam Diis habuit suis Philippus Macedonum rex, quod filium eo potissimum tempore suscepisset, quo in magna fuit Aristoteles, propter singulare ingenium & incomparabilem doctrinam, nominis celebritate.* P A V L I *educatio in ea incidit tempora, quibus cum in aliis Italiæ ciuitatibus, tum maxime Florentiæ, Latinæ, Græcæque linguæ, & omnium ingenuarum artium ac disciplinarum, magni & præclari doctores uiguerunt. Mature publicos honores capere, & magistratus gerere fortunatum homines putant. Vixdum uirilem togam* P A V L V S *cœperat, cum ad Remp. accessit, & nondum exacta adolescentia in amplissimum orbis terræ collegium istud uestrum est cooptatus. Pontificatu Maximo nihil cuiquam in rebus humanis esse potest excelsius. Pontifex Max. sæpe ante è comitiis exiturus creditus est, quod nemo eo dignior communi hominum opinione uideretur. Pontifex Max. creatus est, quo maxime tempore collapsam Rempub. eius unius consilio ac uirtute restitui atque erigi posse, & collegæ eius omnes, & uniuersi Reipub. principes iudicarunt. Vita in Pontificatu tam seni diuturna ut maxime optanda fuerit, non fuit certe magnopere speranda: Tam multos uero annos uixit, ut ante eum quam paucissimis, & ii licet multo integriore ætate creati fuerint, longior uita contigerit. Et publicas quidem res domi, forisque quam fœliciter, quamq: omnino ita ut uoluit gesserit, satis est suis à nobis locis explicatum: In priuatis uero quid non ita ei euenit, ut melius à* D E O *precari sibi nefas esse putare non debuerit? Quam ualde delectat florentem ætate, & uirtutum indole ornatam atque insignem honoribus ac iam*

*ad posteritatis certißimam spem, propagatam uidere tam illustris familiæ sobolem? Et sane ex illis mortalis huius uitæ præmiis hoc unum est, quæ piis et innocentibus pollicetur in sacrosanctæ historiæ monimentis* DEVS. *Vidit* PAVLVS *Nepotes duodecim: Quam eximia spe omnes, qua ex iis, iam adultos, uirtute, quibus in Remp. meritis, à me iam ante dictum est. Vidit etiam ex Nepote, & Nepte Pronepotes, & quod in tenui etiam fortuna tam non est frequens, quam in luculenta optatißimum uidit ex Octauio Nepote, & Cæsaris filia desperata per multos ante annos sobole pueros geminos. Quod si Diagoræ Rhodio uniuersa Græcia quod filios treis Gymnicorum Olympiæ ludorum uictores habuisset, Q. uero Metello Macedonico olim Roma, quod à quatuor filiis, prætore uno, consularibus tribus, rogo illatus fuisset, fœlicitatis quasi palmas detulit, At quanto hoc in genere* PAVLVS *beatior? cuius nunc funeri nepotes tres collegæ uestri operam dant, tanto uel Metelli, uel Diagoræ filiis illustriores, quanto uestra Patres dignitas atque amplitudo supra omnes alios est, atq; uno tantum humanorum omnium honorum apice inferior. Absunt ex iis, qui per ætatem huic pompæ interesse potuerunt, Reip. causa quinq; spectata omnes uirtute, magnis clari omnes imperiis. Beatißimus igitur* PAVLVS, *cuius cum summa uirtute multiplex fuit coniuncta fœlicitas. Fortunam hanc nos* PAVLI, *si placet, appellemus; modo ut intelligamus non fuisse tam* DEO *fauorabilem* PAVLVM *futurum, nisi iam tum ab ipso nascendi initio sibi eum* DEVS *delegisset, in quem tot tantasque res conferret, quot & quantas nemo, qui modo in*

Posteri superstites.

*sperando*

*sperando esset moderatior, à cælesti numine auderet optare. Huic ego diuino fauori tam hæc quæ de fœlicitate nuper exposui, tribuenda iudico, quam rerum ab eo præclare gestarum prosperitatem omnem, summæ & præcellentissimæ eius uirtutis certissimum fuisse opus, iam ante demonstraui. Neque enim unquam Pater adduci potui, ut iis assentirer, qui uni uel uirtuti, uel fortunæ aut omnino, aut nihil prorsus humanarum rerum concederent. Nam ut multa sunt, quæ ad hominum solertiam cum eueniunt referri nullo pacto possunt, sic propemodum alia quædam euentorum genera, sibi certa recte omnia gerendi, & ingenii celeritate ac consilii magnitudine explicandi ratio ita uindicat, ut nullum in his ius, nullam potestatem sibi fortuna queat arrogare. Mihi quidem in* PAVLI *acta intuenti, tam præclare eius uirtuti respondisse fortunam uideri solet, ut magnam utranq; & planè diuinam fuisse iudicem: Sed certiorem atque expressiorem multis partibus uirtutis prouocationem, quàm fortunæ obsequiū. Eorum.n.quæ iam commemoraui euentorum, non utiq: multa à fortuna, plurima à consilio, atque altæ cuiusdam mentis tacita quadam ui profecta, non difficillime intelliget, qui rerū omnium quam recte, quaque maxime opus fuit ratione gestarum initia, progressus, exitus perspexerit. Quod si magnus ille minime uulgaris inter Græcos sapientiæ auctor, effrenati oris, atque exlegis uecordiæ finem esse dixit calamitatem: Cur ego bene, & preclare à* PAVLO *gestæ rei non multo maximam laudem perfectæ rationis, & orationis dignitati, quam sapientiam & eloquentiam dicimus, acceptam referendam putem? Nam quid tandem*

hæc, cuius nomen tam sæpe homines usurpant, fortuna est? Erecta sit, & sublimis ad humanos casus aut contemnendos, aut perferendos uirtus: Fauens ac propitius iuuet DEVS, parum certe inter hæc ubi resideat, aut dominetur, fortunæ loci relinquitur. Cæca quædam uis ea est, quæ in iis dumtaxat, quæ prouideri non potuerunt, cernitur, quæque cum neque ab instanti, neq: ab insequenti tempore naturæ suæ accipiat ius, neque omnino status, sed eius fuga tantummodo animaduertatur, tam nihil est, ut quid notionis habeat, aut quid planè sit, ne illi quidem satis explicarint, qui omnibus quid rebus proprium ac suum esset, certis compræhensum habere se finibus professi sunt. Atque hac quidem, in qua de fortuna agitur parte, qualis PAVLO declarandæ uirtutis occasio, quale se obtulit tempus? Is enim si perpetuo secundis (quod aiunt) uentis uitæ cursum tenuisset, maximus ille quidem, & fœlicissimus, ut in tempestatum tranquillitate gubernator haberi potuisset, sed quam sapienter ac fortiter aduersis se casibus insuperabilem atque inuictum præbuisset, quibus ex rebus id opinari ac sentire possemus, signi aut exempli causa nihil nobis reliquisset. Atenim extremus uitæ quasi actus facile declarauit, non maiorem ullos temporum casus ad eius animum angoribus perstringendum, quam rationem ad uirtutem uehementius excitandam, uim habuisse. Nam cum exiguo temporis interuallo fortuna totam domum repetitis carissimorum capitum mortib. funestasset, & postremo inopinati funeris acerbissimam plagam inflixisset, quam ille unquam priuati doloris significationem dedit? quam ad primum atrocissimi luctus nuntium non grauissimo

Animi magnitudo in aduersis.

*ſimo philoſopho nedum generoſiſſimo, & omni fortuna maiore principe uocem miſit? An non ita ad Remp. gerendam è penatibus ſuis prodijt, ut in eius uultu omnem inteſtini mœroris notam eadem ſemper oris ſerenitas, eadem oculorum alacritas non aboleuerit? Quodq: magis mirabamur omnes, nulla temporum illorum iniquitas: nullæ quæ à certis hominibus inſolentius iacerentur minæ ac terrores, non modo inuicti animi robur neque debilitarunt, neque fregerunt, ſed ne à firmiſſimo quidem illo, in quem ſemper intentam & directam mentem habuit, domeſticæ ac publicæ dignitatis retinendæ atque amplificandæ ſtatu, uel latum (quod aiunt) unguem dimouere potuerunt. Hæc fuit* PAVLO *in omni uitæ parte magnarum uirtutum perpetua comes fœlicitas. Quid uero, mortis genus quodnam optatius potuit euenire? Quodnam ad explendos omnes huius, de qua nunc loquimur, fœlicitatis numeros magis appoſitum? Cuius uitæ exitus aut claudi tranquillius, aut* DEO *atque hominibus potuit ſanctius commendari? Vixit ille quandiu uiuere homini optabile eſſe debeat: atq: aliquanto etiam amplius. Integerrima uero cum adhuc mente & ſenſibus uteretur, diuini illius animi igniculus ſecundiſſimo naturæ afflatu adiuuante, è corporis uinculis non concitate ſe proripuit, ſed ſine ullo uehementioris motus indicio, terrarum iam quaſi pertæſum eſſet, ad meliorem ſedem nono fere menſe poſt ſecundum & octogeſimum ætatis annum ſubuolauit. Septimus fuit dies poſt feſtas atque anniuerſarias de corona ſua epulas, quo uos ille ſolenniter atque hilare acceperat. Pridie uos illius diei affatus, uos complexus, non longiore quam quatridui morbo fatigatus, ex*

Mortis genus.

*hac caduca, & miserabili uita ita excessit, ut se ad superos & ad eum in primis, quem semper sanctissime coluerat, quemque moribunda iam lingua iteratis appellabat uocibus, IESVM CHRISTVM cœlestem suum, nostrumque parentem ac dominum peruenisse, dubitandum nemini prorsus reliquerit. Sed ad clausulam iam suam perueniat suscepta de PAVLI. III. Pont. Max. uita, moribus, in Remp. atque omne omnium hominum genus meritis, operibus, actis, ipso etiam obitu, in quasdam sane rerum summas coacta, longior tamen quam absolutior, commentatio. Breuitatis enim immodico quodam studio percurri Patres singula non pertractaui: inuolui non explicaui, et plane excerpsi potius quam expressi. Quid enim ego unica queam oratione tam magni, tamq; diuini Principis laudes persequi, cum iis exornandis ac celebrandis nullos futurorum annalium calamos existimem suffecturos. Et profecto ut neque aliæ uirtutes, neq; alia uel corporis, uel animi, uel fortunæ, cum plura tamen multo PAVLI uitam illustrarint, ornamenta prædicentur: Hæc uero ipsa, quæ tam strictim attigi, cum uestris ac totius Reip. testimoniis comprobentur atque agnoscantur, an non is nobis, qui tantum tam multarum, tamq; ingentium laudum cumulum ad Pontificatum attulerit, cum primum Pont. Max. renunciatus est, quasi salutare quoddam numen è cœlo delapsus, & ad ætatis nostræ uitia corrigenda, miserias remouendas, imminentia pericula arcenda ac propulsanda quasi DEI ipsius manu in terras demissus uideri potuit? Iure igitur tunc optatissimum & faustissimum de eius creatione nuntium cum ingenti plausu excepimus, & ad usitatas illas communi*

Peroratio in qua inest deploratio, consolatio, adhortatio.

*nis gratulationis significationes, inusitata quadam lætitia exulta uimus & efferebamur. Et iure nunc optimo ac sanctißimo paren te orbati, nouo & uix ferendo ardemus dolore, luctu, squallore prope ac mœrore tabescimus. Cuius enim iam nos, cum illo statim amisso teterrima importunißimæ tempestatis procella nobis cœperit impendere, cuius iam inquam nos consilio & auctoritate nitemur? Cuius inuicti animi magnitudine sustentabimur? Cuius fide, facilitate & clementia recreabimur? Video Patres optimi, uideo, & ex oris oculorumque uestrorum mæstitia plane perspicio, ad uestram animi ægritudinem leuandam, doloremque minuendum, eam consolationis rationem maxime obuiam & hominum tacitis cogitationibus expositam, parum aut omnino nihil ualere. Erat iam* PAVLVS *senio confectus: Quo poterat tandem, si nunc conualuisset, longius ætatis procedere? At mente cum esset firmißima ac constantißima, uel unicum si superuixisset annu, quam præclaros eius anni fructus laturi fuissemus? Nam si improbi & nequam principis uel breuißimam uitam, ad euertenda perdendaque omnia nimis multum spacii habuisse queri populi solent,* PAVLO, *cuius pontificatu orbis terræ salus nitebatur, cur uitæ quantam maxime potuit, diuturnitatem non contigisse, non ægerrime feramus? Ac nostra quidem ipsorum, Patres, causa angori nostro uenia danda est. Immortalitatem ille huius uitæ, quod fas homini non esse sciebat, nunquam optauit. Quæ in bonis ducuntur, reliqua ita est consecutus, ut sola ei esset, cuius iam compotem factum nihil est quod dubitemus, cœlestis æternitas expetenda. Beatißimus igitur ille nunc maxime.*


*Nos*

*Nos eius uirtutis ac ſapientiæ præſidiis orbati, iure in mærore, et iuſtiſsima deploratione uerſamur. Defecit enim, ut magni illi uates, & maximarum calamitatum, ac cladium deploratores dixere, gaudiũ cordis noſtri: uerſus eſt in luctum chorus noſter: Dies feſti noſtri conuerſi ſunt in lamentationem et ploratum. Sed quis tandem deſiderio noſtro modus reperiri, quæ conſolationis ratio iniri poterit? communia illa quidem ſunt Patres omnibus gentibus, & cuiuſuis ordinis hominum nationibus, ac iam prope nimis uulgata. Sua cauſa animo angi, hominum eſſe ad ſuam utilitatem omnia referentium: Qui è uita excedant, à malis eos, à quibus futuram ſibi uacationem, & perpetuam ſecuritatem præſtare non poſsint, abduci. Eſſe omnibus, qui nati ſint, hoc tanquam æs alienum naturæ diſſoluendum. Ferenda quæ neceſſario contingunt, & ſua præcipue cum maturitate, æquiſsimo animo, non deploranda. Trita uero illa cum ciuilium hominum ſermonibus, tum in alienigenarum (ut ita dixerim) & noſtratium philoſophorum diſputationibus: Quã mortem uulgo dicimus, iis, qui ſancte, pieq; uixerunt, melioris, ac uerioris uitæ initium eſſe. Sed quam illud ad omnem luctus acerbitatem leniendam accommodatum, quod ille ipſe, unde ſuum fere exorſum oratio mea habuit, Deus, & homo, ille inquam ipſe, qui cunctos mortales, qui ſibi fidem habuiſſent, mortis ut expertes eſſent, per mirificam illam ſui corporis deuotionem effecit, claris, & auctoritatis pleniſsimis uocibus, eos qui nobiſcum eſſe deſierint, lugeri uetat? Diuinitus ille quidem hoc, ut omnia. Nam ſi pro noxis æternis torquentur cruciatibus, impios luctu dignos ducere, diuinam eſt maieſtatem lædere. Piis*

*uero,*

uero, quos dileximus, & caros habuimus, quid sempiterna DEI beneficia, & corporum redintegrationem, quam nobis Christianæ religionis professio certam, & ratam esse iubet, inuideamus? Cœlo iam Patres, cœlo receptam esse PAVLI mentem, pro DEI immensa clementia, proque anteactæ uitæ meritis existimemus. Intuetur igitur illinc nos è medio cœlitum choro: Hunc luctum uestrum, has lachrymas superuacaneas, ac nihil omnino ad se putat pertinere: Vestro tamen eas amori erga se, & pietati ignoscit atque indulget: Me quoque ex hoc loco aliquid de eius laudibus agere conantem, uel per singultus potius balbutientem, sua, credo, miseratione prosequitur. Si quibus oculis in suo nuper sedentem solio contemplabamini, eum nunc aspicere, si quibus auribus grauissimas eius uoces, quin uerius oracula accipiebatis, è cœlo nunc missa monita auscultare possetis, nihil creditu facilius, quam iussurum eum, ut plorandi & cõquerendi primo quoq: tempore finem faciatis: Satis quidem certa & expressa uestra erga se officii documenta habiturum: satis pro eo, quanti uos semper fecit, magnam sibi gratiam relaturos: si non solum domum totum suam tueri uti cœpistis, perrexeritis, ac nepotes hosce in primis treis, quos uobis & quia poposcistis, & quia sui quam simillimos fore confidebat, collegas dedit, paterna seniores, æquales uero fraterna beneuolentia fueritis complexi: Sed multo maxime si mentem uestram, uestraque consilia ad eas actiones conuerteritis, quæ isto uestro Reipub. principatu dignissimæ habeantur: Atq: omnino uideritis, ne cuius à PETRO primo IESV CHRISTI legato, gubernacula uobis tradita sunt, spoliata, ut poeta

M inquit,



*inquit, armis, excussa magistro, deficiat nauis tantis surgentibus undis: Ne scilicet repentina hac temporum perturbatione cum magno naufragii periculo uspiam impingat. Facile uero, ut opinor, hæc patres efficietis, si & PAVLI uitam æmulari nunquam desieritis, & proximis de nouo Pont. comitiis, eum PAVLO successorem mature creaueritis, qui pastor & ipse optimus ac uigilantißimus, luporum, furum ac latronum insidias arceat, commissosq; fidei, & custodiæ suæ greges non solum tueatur, sed in unicum etiam ouile congreget: Qui iure, meritoque suo uniuersæ Reip. Christianæ acceptißimus esse debeat: Qui magna cum pietate, ac religione sæcularis anni, quod nunc instat, sanctißimum lustrum celebret, suoque condat tempore: Qui postremo à PAVLI. III. uirtute ac sapientia tam prope absit, quam longe PAVLVS ipse, & utriusque PAVLI & complurium superiorum Pontificum Maximorum laudes & gloriam superauit.*



DIXI.

Ego Frater Vincentius Bononiensis Vicarius Sanctißimæ Inquisitionis, approbo præsentem orationem dari impreßioni ut catholicam.

Impressa BONONIAE in officina Ioannis Rubei.
MDLXIII.

# ERRATA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pag. | 7 | verſ. | 2 | eum cum |
| Ibibem | In margine | | | Cardinalium Cardinalis |
| Pag. | 13 | verſ. | 1 | quidem.Sed quidem,ſed |
| Pag. | 15 | verſ. | 24 | cius eius |
| Pag. | 17 | verſ. | 17 | dictionis ditionis |
| Pag. | 19 | verſ. | 5 | domum demum |
| Ibidem | | verſ. | 8 | uero uiro |
| Ibidem | | verſ. | 16 | potuerunt patuerunt |
| Pag. | 20 | verſ. | 1 | informari.Et iam informari,et (iam |
| Pag. | 21 | verſ. | 8 | eum cum |
| Pag. | 22 | verſ. | 5 | tenuitur tenuiter |
| Ibidem | | verſ. | 21 | uiſtior iuſtior |
| Ibidem | | verſ. | 24 | Si tam Si eam |
| Pag. | 23 | verſ. | 11 | uiſtius iuſtius |
| Ibidem | | verſ. | 18 | egerrime ægerrime |
| Pag. | 24 | verſ. | 4 | abortis obortis |
| Pag. | 27 | verſ. | 12 | eum cum |
| Pag. | 28 | verſ. | 7 | per paucos perpaucos |
| Pag. | 41 | verſ. | 17 | Eccleſię:Cardines Eccleſię Car (dines |
| Pag. | 46 | verſ. | 2 | faſti facti |
| Pag. | 50 | verſ. | 22 | Epaminundam Epaminōdam |
| Pag. | 52 | verſ. | 20 | compræhenſus compræhenſas |
| Pag. | 59 | verſ. | 24 | agnaſcere agnaſci |
| Pag. | 61 | verſ. | 2 | ſæcuritas ſecuritas |
| Pag. | 65 | verſ. | 15 | nos,cum nos cum |
| Pag. | 66 | verſ. | 26 | poeni Poeni |
| Pag. | 73 | verſ. | 3 | ob hoc ab hoc |

Antonij Sacconij